DE COLLATIONE BONORVM INTER HÆREDES BICEPS DISCVSSIO.

STEPHANO FORCATVLO IVRISCONSULTO Authore.

Cum indice legum in hoc commentario explicatarum.



PARISIIS,

Apud Guilielmum Chaudiere, via Iacobæa, sub Temporis insigni, & Hominis Siluestris.

1578.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR priuilege du Roy est defendu à tous Libraires, Imprimeurs, & autres qu'il appartiẽdra, en quelque sorte & maniere que ce soit, d'imprimer, vendre ou distribuer aucunes œuures de *M. Estienne Forcatel, Docteur, Regent en la faculté de droict Ciuil en l'Vniuersité de Tholoze*, sinon au Libraire, ou Imprimeur qu'il aduisera & choisira & aura charge & puissance: & ce iusques au temps & terme de six ans entiers, & consecutifs apres la premiere impression, qui sera faicte de chacune desdictes œuures, sur peine de confiscation des liures imprimez par autres, & d'amende arbitraire, ainsi qu'il est plus amplement contenu esdictes lettres de priuilege, sur ce donnees à Paris le treiziesme iour de may, l'an de grace, mil cinq cens soixante & douze.

Par le Roy en son Conseil.

Signé MORIN.

Acheué d'imprimer pour la premiere impression
le 15. d'Octobre. 1578.



NOBILISSIMO ATQVE CLARISSIMO VIRO DOMINO BARNAB. Brissono, Regiæ maiestatis Consiliario à secretis, & Aduocato Regio in suprema curia, L. P. Forcatulus S. D.

MIRANTVR plerique causámque petunt, qua ratione permotus ego, alienas vigilias vt pote paternas, mihi quasi ascripserim, nomenque inseruerim, & insolentiùs (vt aiunt) pro arbitrio consecrare non veritus fuerim. Quibus, si aliquem relinquant æquitati locum, neque inuidia eorum acumen corroserit, solo verbo potissimũ satisfaciam. Etsi enim talis sit virtus, vt aliquo modo per se sustẽtari posse videatur, certum est eandem cuiusdam viri authoritate firmatam, præstantiorem, & diuturniorem euadere, quæ antea per se satis infirma & imbecillis erat. Quam ob rem & illi ipsi Philosophi, qui consortio humano non vtebantur, maiorum tamen vigiliarũ munera præstanti viro mittebant, rati Clarißimorum memoriam magis perẽnem fore, quàm chartam quæ lapsu temporis tandem obliteratur. Quæ cùm ita ducerem statim initio huius libri nomen (ne quid operis perfectioni deesset) tuũ imposui, quod instar vasis Corinthij scrinium exornaret, easdémque veneres suppeditaret quas opifici atra mors adhi-

bere prohibuisset. Quam si in nos beneficentiam, & liberalitatem conferas, tantis gratiis deuinctos habebis, vt nos redimere nunquam posse putemus, nisi pro alieno ære nos deuouamus. Deuouamus? immò tui permanebimus: clementiorem etenim magis vel frugi dominum inuenire non licet, nisi in inferiora hæc cælites forsitan commigrarent: quippè qui tantis virtutibus cumulatus es, vt in te suum Iupiter præstitisse tyrocinium videatur. Testis mihi sit illa eloquentia qua totum forum personat, si quid regiæ maiestati obstare videtur: tum librorum familiaritas, quos contubernales semper habuisse vidêre: adsit & illa beneuolentia qua dignißimum quemque soles prosequi. Sed stultus ego, qui eum nitar laudare cuius facta omnem præuertunt eloquentiam, tätáque sunt vt multa qui dixerit plura prçteribit: Ergo ad finem, amplißime senator, properabo, si te vnum illud rogauero, vt in hunc librũ illos oculos attentè coniicias, quorum coruscatione Parisiensis Senatus perlucet, vt sic geminato fulgore tanta promicet claritas, quæ tenebras illis qui de nobis loquuntur offundere poßit. Vale. Lute. Prid Idu. Octobr. 1578.

AD EVNDEM CANDIDISSIMVM virum, Stephani Forcatuli Authoris, Epigramma.

Si quem iura beant doctum ciuilia, si quem
Fouerit in dulci læta Camœna sinu,
Is tu es liligeris Iudex in sedibus, & qui
A lato vates sydera carpis equo.
Hinc, Brißone, pudet versu laudare minuto,
Teque velut solem velle iuuare face.
Ne poma Alcinoo videar misiße, tacebo:
Præco sibi virtus nam satis esse solet.



OBSERVATA IN PRIOREM PARTEM BICIPITIS DISCVSSIONIS DE Collatione bonorum.

1 *Quare Prætor Collationem bonorum induxerit.*
2 *Non solùm expugnato testamento per bonorum possessionem contra tabulas, sed etiam ab intestato aliter, Collationem esse.*
3 *Olim ex testamento nihil conferebatur: quid ex codicillorum vel dotis titulo.* & 17.
4 *Vbi cessat iniuriæ per fratrem illatæ ratio, Collatio obmutescit.*
5 *An emancipatus quiduis suum conferat, vel duntaxat quatenus suo obest fratri.*
6 *Collationis genuina definitio nouè traditur.*
7 *Quod bona sua quisque confert non autem patris defuncti: & quid de conditionali debito.*
8 *Dotem cur filia conferat, & quot modis fiat Collatio simplex aut mista.*
9 *In bonis parentum vtriusque sexus Collationem recipi.*
10 *Inter ascendentes nequaquam conferri.*
11 *Ascendentes, qui iure nouo succedunt nepotibus, non veniunt æqualiter.*
12 *An verum sit inter eos conferri, quibus bon. possessio conceditur indistinctè: & coarctari generalem locutionem ad propositum.*
13 *In successione fratris communis nihil conferri.*
14 *Non confert itaque filius agnati iure veniens, & quãtum temporis tunc filio vel patri detur ad agnoscendam bon. possessionem.*
15 *Posthumo cur interim nemo conferre teneatur.*
16 *An liberis in primo gradu non existentibus Collatio congruat.*
17 *Quid sentiendum de hærede particulari vel legatario.*
18 *Vt conferatur, filius suus necessarius est saltem ex altera partium:*

& quid est quod Cæsar ait dotem profectitiam vel aduentitiam à patre datam conferri, & dotem filiæ patri non acquiri.

19 *Inter emancipatos abest Collatio.*

20 *Quibus in casibus inter emancipatos conferatur.*

21 *Suus confert emancipato, prima facie, non læso.*

22 *Num hodie sublata sit differentia emancipationis & patriæ potestatis.*

23 *Morte patris omnes liberi fiunt sui iuris, & nihilominus conferũt.*

24 *Quare penitus extraneus hæres filio defuncti, quem tantopere offendit, non confert.*

PARS PRIOR TRACTATVS COLLATIONVM.



MERITO reprehenduntur Philosophi, qui non præstant id re ipsa, quod verbis efferunt, & prædicant: quosque Epictetus redarguens scitè, dicebat sapientiæ studere ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. id est, factis procul, verbis tenus: vt de illo Phauorinus retulit, nec Iurisconsultus obticuit in.l.in honorib.§.pe.ff.de vocati.muner.ideóque dicturus de Collatione bonorum inter fratres facienda, ipsemet confeferam vltro quicquid habuero: id profectitium maximè existimãs, & à Deo communi omnium authorum parẽte acceptum, ne maiores natu scriptores de me queri possint, quasi alienis inuentis manum iniecero, nihil meo marte contribuens.

1 Namque Collationis necessitas inducta fuit ob arcendam iniuriam, quam liberi emancipati aliis in potestate manentibus faciebant, dum beneficio prætoris admittebantur per bonorum possessionem cõtra tabulas: atque ita redigebãt patris à quo erant præteriti iudicium supremum ad causam intestati.l.1.ff.de Coll.bonor. tunc enim grauiter lacessebant suos patris hæredes, qui nihil non ei acquisiuerant. l.1. ff. si à parent. quis manumiss vnde eueniebat, vt particeps fieret emancipatus earum rerum, quas frater patri sua industria laboriosè acquisiuis-

ſet,proinde nõ ſine rubore ſua bona ipſe inuicẽ conferre negaturus ſit, niſi oſtendat ſuum non affici iniuria.d.l.1.§.toties.ff. de Coll. bõ.quippè cùm eo creſcat indignatio iniuriæ,quò fit, à coniunctiori perſona,à qua beneficium aliquis expectare debuerat,potius quàm ab extranea.l.1.§. omnia.ff.de pœn. & hãc rationẽ affert Ariſtoteles libr.7.Politicorum,quare fratrum odia & bella crudeliter exerceãtur, præſertim cùm de diuidenda patris ſubſtantia contenditur.§.& quòd ſæpe.de trient. & ſemiſs.col.3.aut cùm ſuas fortunas ad fratres transferri vident. l cum oportet.C.de bonis quæ liber.

2 Ceſſet itaque iniuriæ illatæ ratio. & confeſtim collatio ipſa ceſſabit,at ſi pertinax ſit, tunc collatio ceruicem altè eriget.quamuis emancipatus non infeſtet iudicium patris per bonorum poſſeſſionẽ,ſed aliter ab inteſtato veniat ex capite vnde liberi.l.4.&.l.ſi emancipati.C.de Collatio.

3 Vnde olim veniens ad ſucceſſionem ex iudicio teſtatoris non conferebat.l.1. C. eod.Nam inuidendum nõ fuit emancipato inſtituto,cùm vel quiuis extraneus inſtitui potuerit, vt indicat Vlpianus in.d.l.1.§.toties de Collationib.apertiùs imperator in.l.à patre.C.eod.nec obeſt,quod ibi & in l.filiam.2. dicitur relictum in Codicillis cõferri, & ita iudicio teſtatoris, cum Codicilli teſtamento finitimi ſint.l.3.§.ſi quis Codicill.ff. ad Syllanian.nam Iaſon hoc obiiciens conſiderare potuit fidei commiſſum ſingulare ex Codicillis non conferri, quandiu filius venit quaſi extraneus, id eſt,ſine querela, ſed relictum amplectitur.quando autem aſſerit ſe filium, & rebellat aduerſus voluntatem patris,nec ſatis ſibi eſſe putat relicto,tunc proculdubio cõfert ipſum.l. pen. famil.Herciſc.l.3.ff. de Coll. dot.quare enim non conferetur ſaltem priſco iure relictũ,cùm imputaretur in legitimam auth. nouiſſima.C.de inofficio.teſt. Ergo patiẽs collationis.l.illam. C.de Collati.ita recipitur circa dotem,quam filia accepit à patre:non enim confertur quandiu filia non vult patri ſuccedere,cùm etiam ab extraneo dotari potuiſſet,ſecus ſi velit fratribus cohæres permiſceri.l.fi.ff.de Coll.dot.

4 Cæterum finge ab inteſtato ſuccedi iure antiquo, ceſſabit

nihilominus Collatio, si absit iniuriæ per emancipatum inferendæ causa. l. pe. §. pe. ff. de bon. poss. contr. tabul. l. 3. §. pater. de Collat. bon. ff. vt si pater filium in potestate ex triente instituit, extraneum verò ex besse, emancipato præterito bonorum poss contra tabulas petente: vnde ex huius persona filius suus testatoris fratris iure nititur, & alterum trientem ab intestato accipit. l. si post. §. fi. ff. de bon. poss. contr tabul. proinde emancipatus tam prosper fratri nihil eidem conferet.

5 Vnde sequitur iusta proportione Collationem fieri ab emancipato, quatenus duntaxat fratri est iniurius non vltra, vt ecce, pater suum filium ex tribus partibus hæreditatis fecit hæredem, extraneum ex residua quarta. quare emancipatus præteritus à suo filio solum quadrantem auferet, & alterum ab extero. sic itaque bonorum propriorum solum quadrantem contribuet. l. 1. §. si ex dodrāte. ff. de Collati. vel certè conferet dimidiam bonorum suorum portionē fratri. quia quadrans habitus respectu bonorum omnium defuncti patris, est dimidia eius partis, quam filius vteruis accipit, vt Bartolus rectè metitus est. argumento est: quòd emācipatus cum suo succedens ab intestato omnia sua bona confundet: quia dimidia quam illi aufert, torū est sibi debitæ portionis. Sanè vbi cum filio in potestate non aliquis extraneus merè sed alius emancipatus institutus fuit, tunc emancipatus præteritus suo æqualiter conferet plusquàm auferat. l. 2. §. si tres de Collat. bonor.

6 Collatio, inquit Bartolus in. l. pater. ff. de Coll. dot. vbi visus est se ipso diligētior, est bonorum suorum communicatio: ad hoc iuuari se putat ab Accursio in rubrica ff. de Collat. vbi quidem non fuit mens Accursij talis, vt definitionem traderet: cùm genus tantùm ponat non differētias. nec si quis addiderit esse communicationem bonorum suorum inter hæredes, vt aliqui fecère. quia videbant perspicuè inter socios esse locum cōmunicationi bon. & Collationi, vt vidisse opinor l. 1. ff. pro soci. l. 1. C. eod. nec tamē ea res ad nos quicquā pertinet: nō magis quàm ea quę fit inter coniuges. l. 1. ff. de rit. nup. aut inter vicinos conferentes ad communis parietis refectionem, velint, nolint. l. 3. C. de ædific. priuat. sed præterea inter hæredes fit cō-

municatio in hæreditate nondum diuisa commodorum & incommodorú.l.item ex ff.famil.Hercis.fit quoque Collatio inter eosdem succedentes mulieri, vt funus fiat impensis cōmunibus.l.in eum l.veluti.ff.de religios.& in summam in cōmune illatio rerum inter fratres erit sine Collatione successoria. l.si fratres.§.idem Papinianus.ff.pro soci. verùm huiusmodi Collatio cohæredum nihil attingit eam,quam sic definiendam suspicor,vt sit contributio bonorum suorum, quæ fit per liberos liberis æquè parenti successuris.vbi particula,æquè,notissima & vsurpata passim à Iurisconsultis,vt prorsus olim simulata Cupressus pictoribus,tam similiter quàm æqualiter significat.l.1.§.fi.ff.de effractorib.l is qui.§.si hæres.ff.vt in poss.legator.& deinde ad solos successuros fratres refertur hæc communicatio non ad aliam quamlibet.d.§.idem Papinian. Quòd sit cōtributio ipsa Collatio generaliter patet in.l.2.§.si res quę. l.3.ff.ad legem rhod.atque vt hæc ipsa Collatio potest confusio dici.l.si soror.C.de Collat.sic & alia contributio hæredum. l.1.§.si cohęredis.ff.ad leg.falci.atqui ibi contribuunt hæredes portiones hæreditarias damno suo,& fauore legatariorum, ne sit locus quartæ falcidiæ. cùm in nostra Collatione sua bona quisque contribuat,vt ad succedendum fiat idoneus vnà cùm aliis liberis:sicut definito declarat bonorum suorum mentione facta.

7 Nam veteres obseruarunt bona defuncti vel peculium profectitium liberis concessum à patre magis diuidi iudicio familiæ Herciscũdæ inter ipsos quàm conferri.l.filiæ.2. de Collat.C.l certũ.C famil.Hercisc.præterea quoniam bona sua cuiusque ad præsens tempus referuntur non ad futurum.l.si ita. ff.de auro & arg.leg.iam.alia bona filius nō conferet,quàm ea quæ tempore mortis paternæ habuit, postea verò quæsita sibi præcipua habebit.l.ea demum.C.de Collat.l.2.§id quoque. ff. eod.vbi si filiofam. debitum sit,verbi gratia, ex stipulatu sub conditione,quæ à morte patris contigerit,id confertur,quia retroagitur conditio ad tempus stipulationis non in testamento. l.quę legata.cum.l.seq.ff.de regul.iur.& sic intelligitur.l.pe.ff. de Collati. vbi si filiofamilias legatum esset reddendum sub

conditione,quæ mortuo patre contigit,vel sub ea,si morte patris sui iuris factus esset,idipsum sibi filius acquirit, nec conferet. quamuis viuo patre præmaturè solutum ipsi fuisset liberalitate debitoris,donatoris effigiem aliquam referentis, quia plus soluit tempore.§.plus autem.de actionib.sed nec pater donasse quicquam filio creditur,cùm finit eum frui pendente cõditione rebus ab extero promissis:ne inuidi magis quàm parẽtis fungatur officio.nam & si indebitum sit reuocabile,quando pendente conditione soluitur,hoc verum cùm ab errante soluitur,vel ab eo qui vult repetere.secus si soluerit præproperè sciens vel errans,mox noluit repetere.l. sub conditione. ff.de condict.indeb.& sic intelligitur illud quod habetur in.d.l.pe. filium non conferre quod sibi solutum est festinanter: quia nõ tam ex donatione quàm ex debiti causa id possideat.non enim de donato ex conuentione patris ibi tractatur,quia in hoc conditio semper retrotrahitur,sed de legato sub conditione, soluto tamen citeriore tempore debitoris & patris tolerantia: non sine specie liberalitatis quandoque.l.Aristo.ff.de donati. Scio Bartolum trãstulisse.d.l.pe.ad conditionem ex contractu, quæ solummodo post patris mortem possit existere:sed hoc diuinare est:quare ad vtramuis ego transferre malui.

8 Quod dixi bona sua succedere volentis conferri, quæ modo tempore mortis paternę habuerit,facit vt filia dotem profectitiam conferat:quia est extra bona patris.l.pater filiam.ff. ad leg.falcid.nec sic se habet vt peculium ad nutum patris reuocabile.l.xli.ff.de pecul.at verò dos propter onera matrimonii filiæ prærogatur & eidem cohæret.l.dotem.ff.de castrens.pecul. attamen Iurisconsultus in.l.1.de Collat.dot. apertè dicit curæ esse arbitro familiæ Herciscundæ, vt dos conferatur,aduersus doctores quia licet dos alienata à patre videatur. §. quia verò. de æqualit. dot.col.7.tamen ad patrem facilè redit.adeo vt dos minuatur simul cum fortunis eius, vt ibidem habetur.l.pater. de euictionib.planè variè conferri solet:interdum re ipsa illata in paternas fortunas:aut tanto minus accipiendo vt in.l.dotis.C.de Collation.aut aliter liberando cohæredem pro parte dotis à patre promissæ nec præstitæ,vt in.l.1.§.filiam.ff.de Col.

doc.vbi Bartolus addit Collationem inanis actionis, quam habet filia culpæ expers contra maritum inopem auth. quod locum.C.eod.& si ad manum bona sua nō habeat is qui conferre vult,cautione interim implet vicem Collationis.l.1.§.iubet.ff. de Collat.maximè si quædam occultata fuisse suspicemur, vt ibidem subdit iurisconsultus.adeo est hic quintus modus conferendi perutilis potest addi mistus quidam,consistens partim in diuisione rerum partim in cautione residui.l.1.§.quamuis. ff.eod.l.fi.§.mista.ff.de muneribus, vbi mistum sibi facit speciem separatam.

9 Nunc redeo ad definitionis reliquam partem:ne, sicut Appelles ille pictor illustris Venerē dimidiam tantùm videar ostendisse.ac persequor qualiter fiat Collatio per liberos liberis æquè parēti successuris,postquam æqualitatis cuiusdam respectu eam introductam patefeci in bonis parentis, cuius appellatio auos cōplectitur ac superiores deinceps vtriúsque sexus, sicut liberorum vox inferiores complectitur.l. appellatione.l. liberorum.ff.de verbor.significat.nec innotum est Collationē vigere,cùm auis proauisque succeditur maternis quoque.l. vt liberis.C.de Collat.

10 Quamobrē cùm Collatio angustos habeat limites solosq; inter liberos. si verax est definitio, locum habeat, constat ad ascendentes produci non posse:cùm hac in re pudori, sit legis verba egredi.l.illam.C.de Collati.Et ne quis putet verba legis ratione destituta esse, vidēdum est quorsum Collatio introducta fuerit ex.l.1.ff.eod.nempè ne filius in potestate queratur merito,si emancipatus lotis,vt vulgò aiunt, manibus redeat ad bona paterna, plerumque filiorum domi manentium labore quæsita,& nihil ipse mutuo contribuat.deinde æqualitatē inter pares personas eandē ratio expostulat.d.l.vt liberis. C.eod. atqui si respicias patrem & matrem successuros filio, iam antiquo iure mater non petet collationem à marito, cui postponitur.§.præferuntur.de senatusc.Tertill. sic nec auus maternus à paterno simili æquitate.Si autem cōsideremus ius nouum iam pater est potior in profectitiis matre: & ea solus vtolim sibi habet propter potestatem patriam.In aduētitiis quoque præpol-

let matri, cùm eorum vsumfructum obtineatquoad viuit pater l cum oportet. C. de bonis quę liber. at castrensibus fruitur suo iure succedés ab intestato nomine pecullii. l. 2. ff. de castren. pecul. l. 1. §. si is qui. ff. de Coll. Quod si animaduerteris ius nouitium auth. defuncto. C. ad Tertilli. quo filio communi mater cum patre succedit, non admodum profeceris, cùm & ibidem fratres defuncti succedant cum parentibus, & tamen inter fratres succedentes fratri Collatio delitescit, nec vsquam recipitur. Nec pater de matre conqueri potest, quod acquisierit filio cui succeditur communiter. plus quàm mater graues decem mensium labores, & partus ac nutricationis molestiam facilè regerens, non sine lachrymis quas mulieres in numerato habent. ideóque neuter parentum alterum afficit iniuria in hac præpostera successione, in qua de liberorum bonis disceptant simul contra naturę ordinem, & proprium votum. l. Iulianus. ff. si quis omiss. l. scripto. ff. vnde liber. nec æqualitas igitur talis curatur, qualis inter liberos successuros naturæ ordine seruato & ex desiderio parentum. l. nihil de bonis libert. ff.

11 Accedit quod solus auus paternus tantum accipiet ex bonis nepotis defuncti ab intestato quãtum prorsus auus maternus & auia. adeo iure nouo disparitas in numero ascendentiũ curæ non est §. si igitur. 1. de hæredib. ab intestat. col. 9. & d. auth. defuncto. & è diuerso maternus auus solus superstes auũ paternum auiamq; exæquaret.

12 Sed dicent nonnulli obesse, quod habetur in lege pri. §. pri. ff. de Collation. vbi Collationi locus est inter eos quibus bonorum possessio data est. atqui parenti datur bonorum poss. contra tabulas præterito. l. 1. ff. si à parent. quis fuer. manumiss. vel ab intestato bonorum poss. Vnde parẽtes. l. scripto. in fin. ff. vnde liber. l. 1. §. largius. de success. edic. etiam cum accessione anni liberis ad agnoscendum bonorum possessionem cõcessi l. 4. §. filius. ff. quis ord. in bono. poss. Verùm non oportet captare Iurisconsulti mentem ac verba tam perspicua, vt potè qui inter eos admittit Collationem, de quibus statim dixerat, idest, inter emancipatos & suos libe. alioquin sequeretur emãcipatos emãcipatis conferre, si præteriti duo fuerint, instituto

suo

ſuo hæredc filio.quod nemo dixerit, quamuis vtrique emancipato bonor.poſſeſſio contra tabul.pariter concedatur.l.2.§.ſi tres.de Coll.bono.atque ita ſermo generaliter prolatus diſtinctionem recipit.l.pe.ff.de confeſſ.& ex præcedentibus explicationem capit.l.hæredes.§.ſed & ſi.ff de teſtam.

13 Proinde conſtat inter ſolos decedentes vigere Collationem,quibus parentum hæreditas verè debita eſt,non his viuẽtibus ſed à tempore mortis ſaltem, quatenus portio legitima protenditur.l.1.§.largius.de ſucceſs.edict.viuo namque parente vix eſt vt fili⁹ ſit creditor:cùm cuiuis creditori poſtponatur, qui vel momento cum patre contraxerit.l.Papinianus.§.quarta.ff.de inoffic. teſtam.l.1.§.ſi impuberi.de Coll. bonor.atqui fratri frater nihil neceſſariò relinquere tenetur,ni aſperſam macula infamiæ perſonam inſtituerit.l.fratres.C.de inoffic. teſtam.& ſic in odium potius infamis quàm in fauorem fratris hoc inductum fuit.l.1.ff.eod.vbi querela fratris ſic accipienda eſt,licet ibi lex indiſtinctè loquatur.ſed iam pauloantè admonui in.d.§.inter.l.1.de Coll.bonor.generalem ſermonem alibi diſtingui vel coarctari.non ergo frater fratrem afficit iniuria,ſi plus capiat ex defuncti fratris ſucceſſione lucri loco ponenda.nec æqualitas vlla deſideratur inter eos quorum alter totum capere impunè poſſet ex teſtamento exemplo extranei vel prorſus nihil,ſi ita defunctus cõſtituiſſet.neque aliud quicquam commodius eſt ad mutuum amorem firmandum inter fratres,quàm quod intelligũt excluſum ſe iri à ſucceſſione,niſi ſe pios & officioſos præſtiterint.l.nec adiecit.ff.pro ſoci.

14 Quæſtionis eſt an filius repudians bonorum poſſeſſionem vnde liberi,mox veniẽs per vnde agnati, conferat collationẽque inuicem petat.poſtquam liberorum iure venire deſiit.l.1.§.quibus.ff.de ſucceſs.edic.l.2.ff.vnde legit.non enim hoc definitur in.l.vt liberis. C.de Collati.vbi liberi quocunque iure inteſtatæ ſucceſſionis veniãt,Collationi parent:quia mox ſubditur hoc euenire ſi aſcendentibus ſuccedant.non puto idẽ dicendum ſi degenerent:imputetur enim ei qui alienam perſonã ſimulat.l.item apud.§.ſi quis virgines. ff.de iureiur. præterea lex verbis imponeretur duntaxat non effectu, ſi poſt repu-

diationē ex primo capite vnde liberi adhuc liberorum effectū retineret bonorum possessio. & puto annum ei dari ex secūdo capite filio non tantum dies centum. nam in. d. §. largius. l. 1. de successor. edict. de liberis tractatur annum habētibus, quandiu suo iure vtuntur. vel si effluere illum socorditer siuerint. idem exprimitur in. l. 4. §. filius. ff. quis ordo in bonorū poss. seruet. vbi idem est in patre manumissore petente bonorū possessionē contra tabulas ergo temporis habet spacium laxius & filio dignum, rursus post primum annū, sed non Collationi. ius: quod non est mirum, cùm nec parens conferat licet, eodē spacio perfruatur. Itaque miror quod quidam primarius interpres in contrarium torqueat. l. 2. vnde legit ff. vbi post annum liberi veniunt quasi legitimi: ergo, inquit ille, non proprie, nec videt particulam, quasi, ibidem esse proprietatis Germanæ notam in verbo quasi liberi, &. l. tam ex. de iudic. ff. addatur illud Io. vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre. l. 6. de senatorib. ff. nec iuuatur ex. l. de bonis. §. 1. ff, de carbon. edict. vbi negatiue vulgò legitur, nō esse videlicet suos liberos, qui ex prima parte edicti vnde liberi nō veniunt. sed age, fac legi affirmatiue suos esse, tamen suitas latet in eo qui ea vti noluit. l. suum. C. de iure deliber. sicut videre licet in marito accusatore mulieris adulteræ: nam intra sexaginta dies admittitur ex suspicione accusans, vt maritus nimirum, nec victus de calumnia tenetur: secus si post id temporis vt extraneus accuset, cautius probare debet vtique. l. quamuis. 1. C. ad leg. Iuli. de adult. le. iur. eod. Nec obest quòd in bonis maternis liberi conferunt. l. vt liberis. C. de Collat. & tamen certum est in huiusmodi successione non esse locum capiti vnde liberi sed vnde legitimi. l. 2. §. fi. ff. vnde legit. planè ibi lex ait filios in maternam successionem venientes ex Orficiano senatusconsulto petere posse bonorum possessionem vnde legitimi: non tamen consulit vt petant, si velint vrgere fratres ad conferendum. itaque remedium illud datur ex abundanti vt. l. 1. §. dixerit. ff. de publican. Vel dicere quoque possumus ibi caput Vnde legitimi (cùm competat ex eo quod in muliebri successione aliquod prius non extet, non verò ex negligentia ylla liberorum primi gradus) semper redolere na-

turam primariam liberis solis consentaneam.l.fi.C.de suis hæredib.In summam sic in proposito distinguendum putarē,cùm dubitatur an liberi desides ac securi non petentes bonorū poss. Vnde liberi Collationem recipiant,si ex capite vnde agnative-nerint post annum,vel illico ex repudiatione:vt si ipsi petant sibi à fratre locuplete conferri,reiiciantur: quia culpa sua exclusi sunt à beneficio neglecti capitis,vt iam ostendi . Si verò aduersus eos hoc modo segnes aut repudiantes primum caput Collatio petatur frugifera aduersario fratri,tunc conferre tenebuntur sine dubio.alioquin semper Collationem eluderent sui.d.l.suum.C.de iure deliber.præterea commodum referrent ex negligentia petendæ bonorum possessionis , quod admitti non debet.l.1.de successor. edict.l.1.ff. si quis omiss. caus.testa.

15 Secūdò vt Collatio valeat inter liberos, oportet esse natos: ideoq; non confertur ei qui est in vtero antequam nascatur: quia non potest dici in potestate esse:interim.l.fi.ff.de Collati. nec obest quod dicitur haberi pro natis eos qui sunt in vtero in sibi vtilibus.l.qui in vtero ff.de stat.homi.vnde ipsis fit pupillaris ratione patriæ potestatis.l.2.ff.de vulgar.substit . Quia fateor tunc demū cùm nati fuerint retroagi fictionē , quasi antea in potestate fuerint:& antea quæ ipsis profutura videntur sic tractanda ac si pro certo nascantur,cùm præuidere cōueniat quæ euenire possunt verisimiliter.l.si quis domum. §.pe.ff. locat.& cùm studendum sit vt in lucem puer prodeat potius quā vt iam natus alatur. l.1.§.& generaliter.ff.de vētr.in poss. mittend.igitur fit vt bene ominemur. de existēte in vtero perinde ac si iam esset in potestate,cùm pater moritur. l.fi.ff. de assign. libert.sed in tractatu Collationum nō egemus hac benigna interpretatione:quoniam circa eam multæ contributiones vtrinque intercedunt variaque subductio calculi, siue re ipsa fiat Collatio,siue minus accipiendo vt.d.l.1.§.filiam.de Collatio. dot.quare satius est differre turbulentum remedium in natiuitatem posthumi,ne frustra interuenisse dicatur.l.hęc stipulatio § fi.ff.vt legator.seu fidei commiss.nomine caueat.præsertim cùm paucorū mensium Mora nō officiat.l.si debitori. ff.de iu-

dici.planè nisi à patre fieret pupillaris posthumo nasciturо, sera esset postea patre iam mortuo, qui solus eam facit, aut auus paternus pueri nascituri & in patris potestatem non recasuri. d.l.2.ff.de vulga.nec quicquam deperit, si non nato pupillaris substitutio intercidat præter scripturam testament.idem in datione tutoris.l.si ita.§.fi. de testam.tutel. cui mirificè fauetur ibidem licet si filius non nascatur, nunquam censeatur interuenisse.l.verum.ff.de reb.dubi.

16 Tertio vult Baldus nulli liberorum congruere Collationem, nisi qui in primo sint gradu, aut qui nepotes exempto filio primum gradum subierint.quocirca qui filium in vncia instituit, & nepotes ex eo in xi.vnciis, Collationem impedit. nã nepotes eodem iure vocauit quo extraneos, in quorum persona Collatio cessat.Nisi quisquã putet nepotes liberos esse proculdubio ideo sine delectu Collation. capaces.d.l.vt liberis, de Collati.& naturæ ratio inumbrari nequit quin in dubio instituti intelligantur ab auo amore paterno.l.dotẽ.§.fi.de castrens. pecul.l liberorum.§.fi.ff.de verbor.signif.Quinetiam ideo nepotes instituit auus, quia sciebat fore vt patri in vnciola instituto ipsi quamplurimum conferrent, in potestate aui vtique existentes cùm is moritur & valdè ab extraneis discrepantes.l.liberum.ff.de adopt.sed cùm pax publica Gallorum vixdum bene compacta sit, noua bella suscipere in animo meo non est: & dissimulo libenter quæ Baldus asseruit, pugnax vir & ingenuis viribus spectatus.

17 Quarto non subesset Collationi filius, quem certis vnciis pater contẽtum esse iussisset, vel quem hæredem in certa re instituisset legatario persimilem si modo habeat cohæredem potiorem.l.quoties.C.de hæredib.instit.atque ita damni & commodi hæreditarij expertem.§.si quis vna de fideicommiss. hæreditatib.Item si re vera filius singulare legatum vel fideicommissum à patre accepit, tanquam extraneus equidem extrinsecus, & nolens amplius succedere velut hæres, sed Codicillari relicto contentus, sicuti superiùs retuli.l.filiam.2.C.de Collat.

18 Quinto non aliàs habet inter liberos Collatio quàm si vel ex vtraque parte sui fuerint, vel ex alterutra: cõferet enim suo

emancipatus si modo eodem iure succedatur non in.l. filium. §.videamus de bon.poss.cōtra.ta.vbi diuerso iure nitebātur filij duo,quorū alter exhęres fuit in potestate manens,alter prӕteritus emācipatus,vnde hӕrede extraneo non adeunte,ille ab intestato,hic per cōtra tabulas sibiviā aperuit.Subiūgitur ibidē alia species de qua dixi,cùm emācipati occasione suus lucrum fecitvberius.Sanè populariter hoc tātisper assero:nam oportuniùs ostendā nullā vim in diuersitate iurium cōstitui. imò potiùs in ratione cessantis iniuriӕ,quӕ velut Magnes ferrum trahit ongrosӕ Coll.Cӕterū inter emancipatos deficit Coll.l.si emācipati. C.eod.vbi Accursius contēdit suum suo conferre.l. 4.eod.quo loci filia in potestate patris manēs confert fratribus sibi similibus dotē profectitiā & illo prisco iure aduentitiam, sed emancipatis profectitiā tantummodo. nec dubium est, inquit,profectitiā seu aduentitiam dotem à patre datam vel constitutā fratribus,qui in potestate fuerunt conferēdam esse: vbi rixantur omnes interpretes causa dotis aduentitiӕ à patre profectӕ,quod fieri nequit.l.profectitia.ff.de iure dot. vnde Iason refert illā ad dotem,quā pater filiӕ dedit ob bene merita fortè tanquam mercedem laboris eximij.l.si pater.§.fi.de donati. Ego existimo Imperatorem aptè loquutum, & singula singulis metitum: cùm datam dotem ad priorem profectitiam retulerit:mox constitutam optima serie ad posteriorem aduētitiam. non dissimile est illud: Pastor,arator,eques,paui, colui, superaui. Et illud in.l.1.§.1.ff.quādo de pecul.acti.si filius & seruus emācipatus manumissusq; sit. sic in.l.fi.§.sancimus.C.de liber. prӕter.filia instar filij emancipati vel sui testamentum ipso iure euertitprӕterita, vel per contra tabulas.nā emancipato hoc posterius tantum competit,sicut suo filio conuenit.ius dicendi nullum ipso iure.similis phrasis. §. fi.qui testam. tutor.dor. Vel fortè Imperator docere voluit, conniuentibus oculis filium filiam ve aduentitium lucrum antiquitus habuisse, patre non admodum solicito quorsum idverteretur:& filiam textricem,verbi gratia,ex quӕstu honesto dotem sibi dixisse:quod ei non magis inuidendum fuit,quàm seruo in.l.4.ff. de manumiss.attamen circa Collationem hoc genus aduentitij lucelli

fratribus domesticis contribui quia filia nihil non patri acquireret.l.1.ff.si à parent.quis manumiss.fuer. ne suus filius filiave dotem vel quippiam aliud seorsum habens à patris rationibus separatum suos fratres,qui domi egerunt & patri acquisierunt afficiat iniuria.Sed hic sensus minùs congruit.d.l.filiæ.1. C. de Collat.vbi tandem subditur,iis liberis qui in defuncti familia non manserunt propter emancipationem,profectitiam dotem non aduentitiam conferri.Ergo verè fuit aduentitia ab alio quàm à patre vel patris contemplatione manãs,nec patri quæsita per filiam ab extero dotatam.idque in dote putat singulare Accursius in.l.2.§.quod si in patris.ff.solut.matrim.ne à filia patri suo acquiratur. eo quod dotans liberis ex eo matrimonio nascituris satis studere intelligatur vt & lex publica.l.1.ff.eod. sic enim ego coniicio, imò & sponso studetur, cum quo præsumitur æterna coniunctio.l.1.ff.de iure dot.& quodammodo mortis & diremptionis expers:sed hodie sine dubio nihil aduentitium erit conferendum.l.fi.C. de Collat. vt commodè tractabimus.

19 Ex supradictis patet emãcipatum emancipato minimè cõferre,quia neuter alteri facit iniuriam : aut si vterque alteri faciat,iam compensationi locus datur. l.viro.ff.solut. matr. nec exprobrat merito durus homo quicquam duro.l.2.§. idem ait. ff.ne quid in loc.public.cæterùm cùm inuitus nullus filius emancipetur.§.generaliter.quib.mod.natural.effic.sui col.7. in emancipatione hoc agitur,vt sibi acquirat iure extranei nec de fratre emancipato querelam moueat,quod fortè tardiùs hic emancipatus fuerit,& ideò minus patri acquisiuerit.nam inspicitur tantùm an tempore quo pater moritur sit extra familiã filius.nec curatur an multo antè in potestate extiterit.l. cohæredi.§.cum filio.ff.de vulgar.substit.

20 Excipiemus hodie p.l.vt liberis.C. de Collat. profectitia donationis ante nuptias dotis,& similium: secundò excipitur species.l.1.§.pe.de coniungend. cum emancip.liber.vbi emancipatus superstes fuit patri suo cum duobus nepotibus ex fratre in potestate,quorum alter emancipatus itidem fuit & tamẽ filius defuncti ipsi quoque cõfert.eo quòd,vt aiũt, tam hic ne-

pos ſui iuris quàm alter in poteſtate vnius loco habentur. alioquin certè emancipato ſuis miſto liberis, alter emancipatus filius non confert.l.1.§.fi.de Collati.bonor.& ita nepos emancipatus ex ſui fratris in poteſtate conſtituti perſona fruitur beneficio, quod ex ſua non conſequeretur, ut. l.ſi poſt.§.fi.de bon. poſſ.contr.tabul.l.ſi communem.ff.quemadm.ſeruit. amit. iuuat quoque radix vtriuſque nepotis à patre editi, qui in poteſtate fuit, & prælucet vt verque vnus videatur.l.ſi nepotes.ff. de Collat. ſicut aliâs obſeruatur.l.Magiſtratus. ff. ad municipa.

21 Obiicitur ſuus conferens emancipato filio profectitia.l.4. C.de Collati.igitur emancipatus emancipato multomagis: nō enim ſuus domi operam nauans quæſtui patris communis cōpendio, emancipatum afficit iniuria, de qua in.l.1.ff.eod. Reſpondeo ſuum non eſſe emancipato iniurium antequam petat Collationem à fratre.ſed poſtquam petiit, tunc incipit grauiter laceſſere, niſi viciſſim officiis reſpōdeat vt.l.2.§.& generaliter. ff.de doli excepti.eo magis quod olim per.d.l.4.C.de Collati. ſuus emancipato ſola profectitia contribuebat: hic autem ſuo prorſus omnia. Præterea ſuus ſibi ipſi repugnaret, niſi conferret emancipato, & fruſtra peteret.l. vbi repug.ff.de regul.iur. nam idcirco efflagitat Collation.ab eo, quod præfatur ſe quoque contuliſſe, aut collaturum illico eſſe.

22 Sed videtur ſublata hodie differentia hæc emancipationis & ſuitatis.§.nullam de hæredib. ab inteſt. col.9. verùm inquit Accurſ.hoc obtinet quoad ſuccedēdum non quoad conferendum. nam & ex teſtamento manet differentia, ne pupillaris ſubſtitutio fiat emācipato & in aliis permultis potiſſimum ne emancipatus acquirat patri, vt ſuus.l.2.C.de inoffic. donati. & ideò Collatio viribus ſuis nititur: quia cùm vtriuſlibet diſcrimen maneat in acquirendo, æquum eſt emancipatum conferre ſuo, qui patri acquiſiuit & per patrem omnibus fratribus. nec quod generaliter negatur à lege amplius extenditur quàm tractatus de quo diſceptatur exigit.l.naturaliter.§.nihil.ff.de acq. poſſeſſ.§.1.de public.iudic. & nulla ſolemnitas deſideratur in Codicillis; ideſt, niſi parua.§.fi.de Codicil.l arboribus §.de illo.ff.de vſufr. vbi infantis nullæ ſunt operæ: ſed tamen diſtin-

guitur cuius ætatis sit.nam septennis custodiet domum minuta opera.& cùm lex ab intestato succedentibus eundem honorẽ tribuit,non continuò idem per omnia dat emolumentum.§.item vetustas.de hæreditatib.quæ ab intest.

23 Adhuc insurgetur,vt confundatur patria potestas cum emancipatione,eo quod Collationi ante patris mortem locus non est.l.1.§.si impuberi.ff.de Collat.atqui morte patris communiter omnes liberi sui iuris fiũt irreuocabiliter, nec metuitur ne pater redeat post liminio:cùm tamen filius emancipatus ex consensu in patris potestatem redire queat.l. qui liberatus. ff.de adoptionib.Dico patriam potestatem nõ referri ad tempus sequens mortem vt secernatur ab emancipatione,sed ad id quod præcessit,vel quod eo momẽto fuit dum pater efflat animam.sicut in substitutione pupillari quæ omni hora filium in sacris patris desiderat. d.l.cohæredi.§.cùm filio:de vulgar. Et pupill.tamen à morte patris eandem potestatem adeo detestatur,vt in nullius alterius potestatem pupillum recidere oporteat.l.2.ff.eod.Insuper Collatio inducta fuit ne iniuria mutua se fratres afficerent,si vnus patri communi acquirat, alter sibi: sed iniuriæ ratio vltioque inspicitur retro cùm fit, non cùm vindicatur à bono iudice.l.xxj.ff.de iureiur.

24 Hinc demiramur cur extraneus emancipato sæuior, non cõferat filio suo cui partem hæreditatis auellit nullo ciuili vel naturali vinculo demerens testatorem,si modo hodie cùm ex testamento æque Collatio interuenit ,extraneus sit institutus: nam olim cùm ab intestato tantùm conferretur, nõ fuit quod aliquis esset attonitus: Veruntamen placet vulgo extraneum nihil conferre cohæredi suo filio testatoris,idem ipse respondi cùm perrarò hoc eueniat,vt pater sanguinis proprij & imaginis domesticæ oblitus exterum aut cognatum remotiorem anteponat,ideoque lex permittit asperum aliquid fieri, quod factum iri vix à patre coniicit.l.nec in ea.§.fi.ff.ad legem Iul. de adulte.Atque ita perficit pietas eximia patris erga liberos à lege præsumpta,vt horum quàm extraneæ personę deterior conditio nonnunquã sit.l.pater.ff.de seruit. legat.vti ego adnotaui. Adiiciunt interpretes.§.illud.de trient.& semiss. col.3.vbi

omnia

omnia quæ quondam de Collationibus statuta fuerant, antequam Iustinianus ex testamento Collationem introduceret, firma manent:atqui antea extraneus nihil conferebat, nec illi conferebatur à filio defuncti de iis profectitiis quę nuptiarum occasione à patre accepit.l.fi.§.sin autem.C communia vtriusque iudic.



OBSERVATA IN PARTEM POSTERIOREM DISCVSSIONIS BICIPITIS de Collatione bonorum.

1 *Peculium paganum quodnam sit:item castrense vel quasi castrense literatæ militiæ.*
2 *Quasi castrensia à causidicis vel sacerdotibus non conferri.*
3 *Fœminis quadrat peculium omne,etiam castrense.*
4 *Impensæ studiorum an conferantur à filiis.*
5 *Pro fouendis studiis pater aliter impendia subministrat,si sint sui quàm si emancipati.*
6 *In rem patris vertitur id quod filio datur mutuæ pecuniæ, nec timet macedoniani senatusconf.exceptionem.*
7 *Quid si nōdum pater filium dedicarat literis, cùm ei exterus mutuum dedit,vt studeret liberius.*
8 *Num studiosi scholaris libri Collationem sentiant.*
9 *Librorum donatio erga filium non caret causa.*
10 *Quamuis adhuc non sit doctor filius: moriente patre vel causidicus,non confert libros:& scholaris militat.*
11 *Filius ganeo consumptos libros imputat: sed non semper.*
12 *Dignitas ac militia empta an legitimè cedat, & conferatur.*
13 *Quid de aliis impensis circa dignitatem à patre pro filio factis & quid si Regi datur pecunia, vt militia patris in filium transmittatur.*
14 *SECVNDVM tempus Collationis faciundæ inter diuerso iure succedentes an singulare fuerit.*

15 *Non iure diuerso efficitur ne conferatur, sed cessante fraterna iniuria.*

16 *Iure nouo sicut nec veteri non repellitur Collatio, si testamentum pro parte valet.*

17 *TERTIO tempore dos conferenda fuit à filia. quid dicendum si filia filiæ suæ dotem dederit.*

18 *Quid si maritus filiæ defuncti dotem prodegerit. quid in alimẽtis.*

19 *QVARTVM tempus Leonis Aug. in. l. vt liberis. C. de Collation.*

20 *Emancipatus confert pro tenore præcedentium legum.*

21 *Inofficiosa donatio emancipato facta quatenus rescindatur.*

22 *Constitutio Iustiniani, QVINTO tempore, spectat nepotes cum auunculis aut materteris succedentes.*

23 *Pater dotem non recuperat defuncta filia in matrimonio, liberis superstitibus.*

24 *SEXTO aduentitia non conferuntur: quid statuendum de fructibus horum ab ipso filio consumptis.*

25 *An emancipatus aduentitia instar sui non conferat.*

26 *Filius familias habet aduentitium, licet cum patre maneat. & quid de fructibus rerum sui filij, quorum alter sit particeps.*

27 *Frustra putatur melior conditio emancipati quàm sui.*

28 *An per l. filiæ licet. C. de Collati. aduentitia non conferantur.*

29 *SEPTIMO prohibetur collatio ex testamento, & quare.*

30 *An ex parum solemni voluntate inter liberos olim conferretur.*

31 *Quando ex testamento solemni antiquitus Collatio esset & an ante Iustinianum Collatio generaliter ex illo innotuisset.*

32 *Boni viri arbitratu supplementum legitimæ vel Collationis faciẽdæ quatenus intellectum Iurisconsultis antiquis.*

33 *Etiam iure nouo titulus donationis, vel legati pro legitima nominatim, sufficit securitati testamenti.*

34 *Donatio inter viuos à Iustiniano apertè Collationem suffert. & an in legitimam imputetur.*

35 *Quinimo iure prisco donatum simpliciter conferri solitum fuit ab intestato: & an potius diuideretur fratribus.*

36 *Morte patris vt emancipatione donatio confirmatur, explicatur. l. 2. C. de inofficios. donati.*

37 *Non post mortem sed morte donationem patris firmari.*
38 *Donatio talis quomodo retroagatur. an traditione egeat: & an trãseat in peculium: & peculij singularia multa filio.*
39 *Empta nomine filij filiaue non ita sunt ei præcipua, quin frater tantumdem capiat.*
40 *Dos potiori ratione confertur quàm simplex donatio.*
41 *In.l.illud.de Collati.C.non prohibetur donatio simplex facta filiofam.conferri, nisi sit emancipatus.*
42 *Quid statuendum de donatione ob bene merita filij.*
43 *Non pauca conferri quæ in legitimam portionem non veniunt.*
44 *Quo iudicis imperio aliquis ad Collationem adigatur.*

PARS POSTERIOR COLLAtionum.



NSTILLAT Deus sensim mortalibus optimas quasque disciplinas & artes frugiferas, nec momento easdem exhibet mortalibus. proinde lyræ inuentor Mercurius cùm testudinem exesam intus omnino exceptis aridis neruis aliquando nactus esset, specimen nonnullum musicæ dedit, quod posteri æmularentur, & augerent adiectis aliis atque aliis fidibus: quoad tandem perfectum melos appareret. Ita, hercule, in Collationũ tractatu rudi nouitati à prætore inductæ, ne iniuria sui liberi ab emancipatis, qui sibi ipsis nõ patri acquisiuissent facultates, afficerentur, superuenere variæ Iurisconsultorum & Cęsarum sanctiones, quę cœptum opus perpolirent vsque ad septem diuersi generis & temporis. totidem enim enumerantur à Bartolo: quibus perspectis mirificus legum, quæ inuicem dissonare videntur, concentus intelligetur. ne autem eadem cantione sæpius vtamur, prætermittemus ea quæ suprà abundè tradita sunt de Collatione eminente, vbicumque emancipatus iniurius & onerosus est suo: atque de eadem cessante si aberit ratio iniuriæ.l.1.ff. de Collati.bonor.l.filium.§.pe.ff.de bonor. poss.contra tabul. & hoc siue rumperetur testamentum per bon.po.s.siue à principio pater intestatus obiuisset.l.4.C.de Collati.vbi liquet eo

ſeculo dotem aduentitiam nedum profectitiam conferri oportuiſſe.

1 Quia paganum ſeu commune peculium in totidem partes finditur: deinde caſtrenſe ac quaſi caſtrenſe ſequuntur. l. fi. C. de inofficioſ. teſt illud pertinet ad militiam armatam, hoc ad inermen: ſeu literatam: ſic namque appellatur ab impp. in l. 4. qui militar. non poſſ. lib. xij. C. vbi curialibus interdicitur armata tam prorſus quàm literata laudatur. prę ſertim in magiſtris ſcriniorum ſeu libellorum in palatio principem comitantibus. l. proximos. de proxim. ſacr. ſcrinior. lib. xij. ſuccurit. l. vnic. de caſtrenſi omnium palatinor. pecul. vbi Conſtantinus Aug. id quod ſibi quæſiuerunt parſimonia vel regia liberalitate ij qui in palatio morantur, inſtar habet caſtrenſis peculij. quid enim, inquit, tā ex caſtris eſt, quàm quod nobis conſciis & prope ſub conſpectibus noſtris acquiritur? Sed nec alieni ſunt à puluere & labore caſtrorum, qui ſigna noſtra comitantur, qui præſunt ſemper actibus quos intentos & eruditos ſtudiis iterū prolixitas & expeditionum difficultas exercet. Alludit imperator ad doctos viros, qui in pace & otio comitantur principē in regia, nec non in bello ad caſtra cum eo pergunt, & ſigna ſequuntur, ideſt, militares aquilas, quę victricia ſigna dicuntur in l. fi. C. de locat. ſic itaque gemina ratione peculium quaſi caſtrēſe habebant: quia quamuis prælíis non intereſſent, tamen non procul ab illis præſto erant Cæſari & ducibus eximiis. quia olim comparatum fuit, vt in expeditionem proficiſcentes Iuriſperitum aliquem ſecum ducerent. vt in Galliam Iulius Cæſar duxit Trebatium, vti liquet ex libr. 7. Epiſtolarum Ciceronis. Moriar, ni (quæ tua gloria eſt) puto te malle conſuli à Cæſare quàm inaurari. & alibi: eſt quod gaudeas te in iſta loca veniſſe, vbi aliquid ſapere videare. quod ſi in Britanniam quoque profectus eſſes, profecto nemo in illa tanta inſula peritior te fuiſſet. ſed etiam vetus lex Rom. ſic habebat: minores Magiſtratus periti iuris plures in prælia ſunto. vt idem autor ſcripſit lib. 3. de legib. & hoc modo explicatur. d. l. vnic. de caſtrenſ. omni. palat. pecul.

2 Ex his ſequitur quaſi caſtrenſia non magis conferri quàm

merè castrensia, in quibus filiusfamilias pro patre familias habetur. l. 2. ff. ad senatuscons. Macedon. l. 1. §. nec castrense. ff. de Collati. nec fit aliqua iniuria filio his non collatis ab emancipato, cui vicissim minimè conferuntur à suo militiam armatã tractante vel forensem. l. 4. l. aduocati. C. de aduocat. diuersor. iudicior. vel cęlestẽ sacrorum. l. sacrosanctę & auth. presbiteros C. de Episcop. & cleric. nam clerici ac sacerdotes literatæ militiæ nomen dederunt, si tales sint quales haberi velint, vt cæli arcem inuadant virtutum machina: nam & cælum violenti rapiunt.

3 Nec excipio fœminas à quouis peculio, non vtique à profectitio ex negotiatione. l. & ancillar. ff. de pecul. l. donationes. §. pater de donati. multominus ab aduentitio. sed à castrensi non ausim quoque eas repellere, si ratione militiæ quæsiuerint aliquid, sicut nec Iurisconsultus de sexu in ea re discrimen facit. l. bello. ff. de excus. tutor. cùm constet Amazones è Scythia profectas ingenti agmine Asiam perdomuisse, & centum annis tenuisse, Dianæ Ephesiæ templo magnificè extructo ob sagittãdi peritiam, vt Iornanandes in rebus Geticis scripsit: & Pausanias in Corinthiacis de Tetesilla, quæ cæsis in acie viris Argiuorum vrbem obarmatis aliis mulieribus à Lacedæmoniis viris duce Cleomene obsidentibus tutata est: vnde statuam promeruit. ne quis ipsi inuideat castrense peculium: vel quasi castrense si doceat Philosophiã, vt fecit Areta filia Aristippi Cyrenaici patri in schola succedens, & filium successorem à se edoctum relinquens qui teste Strabone libro 17. ideò Μητροδίδακτος, vocatus est. vel si iudicet & ita salarium capiat, vt præcellentes fœminæ in Gallia cap. dilecti. de arbitr. & olim solebant liberalibus disciplinis fœminæ institui, etiam iubẽte magistratu. l. qui filium. ff. vbi pupill. educar. debe. vbi inter alimenta educatio literaria numeratur.

4 Hinc arrepta occasione commodè quæro an cõferre teneatur filius saltem per imputationem, ea quæ impendit in mercedes præceptorum & viaticum diuturnæ eruditionis, de hac re sic responsum est ab Vlpiano in. l. 51. ff. famil. Hercisc. Quę pater, inquit, filio emancipato studiorum causa peregre agẽti sub-

ministrauit,si non credendi animo pater misisse fuerit comprobatus,sed pietate debita ductus,in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit,computari æquitas non patitur.hæc ita se habent in filio emancipato, vt distinguamus vtrum piè pater pro filio emancipato expenderit, quod in dubio præsumitur:an magis animo creditoris. quia in suarum rationum librum hoc expensum tulerit. quod prorsus redolet alimentariam causam,vt diximus l.nesennius.ff.de negot.gest. Accedit quod sola pietatis ratio impedit cōdici id quod per errorem solutum est.l.cùm is.§.si in ea.ff.de cōdict. indeb.proinde quamuis emancipatus filius sit incognitus iure ciuili, tamen æquitas naturalis non patitur eum dissimulari.§.emancipati:de hæreditatib.quæ ab intestat.defer.igitur alimoniam ab eo pater non reuocabit.maximè illam quæ alit dulci esca mentem, literulísque fouet eam & simul patrem.quia in rem patris versum censetur quod in causam studiorum filij impenditur,vt filium habeat non mancipium.scitum namque est illud Aristippi Philosophi apud Laërtium, cui ingētem mercedem pro erudiendo puero postulanti,cùm pater dixisset,tanti seruum emere possem:eme,inquit,& duos habebis.quocirca liberis docendis lex studet, adeò vt si mutuam filius eo nomine acceperit pecuniā, iàm pater creditori teneatur.l.sed Iulianus.§.proinde in fi.ff.ad Macedonian.Cæterùm hic textus nihil cogit huiusmodi credere:quia dicit teneri patrem intra eam quantitatem quam solebat subministrare,vnde si nihil studiorum causa subministrauit antea ,sequitur non teneri.perinde ac si magis ex sua consuetudine quàm ex literario studij fauore pater ad impendia scholastica filij obligetur.hoc autem paulopòst explanabo, & ostendam patri penitus incumbere onus filium studiis idoneum impensè pro suis facultatibus instruendi,si prius attigero.d.l. quæ pater.loquentem in filio emācipato,multo magis in filio in potestate locum habere:nec verū esse quod vulgo promiscuè iactatur de vno loquentem Iurisconsultū in alio negare. quia sæpè de vno dicit,de quo tantùm dubitatur potius,cū in alio persuasum sit:vt cùm lex de lucratiua causa loquitur,de quā videlicet solùm dubitatur,nec onerosam continuò excludit,imò ma-

gis amplectitur.l.titia seio. de legat.2.addatur.l.ab hostibus.§.fi.ex quibus cauſ.maior.vbi ante abſentiam dicta,vel Accurſio adimente,locum obtinent in media abſentia multomagis.l. ex diuerſo.ff.ſolut.matr.vbi qui ciuile vinculũ ponit, non excludit naturale. Nam quod aiunt de filio ſuo magis videri dubiũ, ſi viaticum ſtudẽti pater ſuppeditauerit: ideò quod emancipato donare poſſit ſtatim valitura munificentia non autem in ſacris poſito.l.2.C.de inoffic.donati.non magnopere me mouet: quia hic nõ diſceptamus de liberalitate erogata in filium ſuũ, ſed de neceſſitate debiti naturalis.debitum namque expreſſim lex vocat,ideò à liberalitate differt.l.rem legatam.ff.de adim. leg.ſimilis dubitatio emerſit.in.l.ſi quis de liber.agnoſ.ff.eiuſdem Vlpiani diſquiſitione vtrum ab emancipato filio parens neceſſariò alendus veniat nedum ab eo qui eſt in poteſtate:vel è diuerſo vtrum pater emãcipatum quoque alere debeat. quod magis exiſtimat Vlpianus, ſubdens ex æquitate charitateque ſanguinis debere iudicem ſingulorum deſideria perpẽdere, ratio elegãs mihi perplacet quæ extat in.l.1. C.de offic.præto.cui addo pro emancipato ſtudiis incumbente.l.2.qui ætat.vel profeſſion.x.C.

§ Quare ſine dubio filio in poteſtate pater tenebitur dare alimenta & cętera adminicula ſtudiorum idoneè.Emancipato autem non ſine diſtinctione nam aut aliunde colligere nequit emancipatus, quia fortè inconſultè iuuenili deſiderio à ſacris paternis exiuit,nihilque fortè accepit, vt aſſolet, ſibi ſuffecturum ad mediocrem victum.l.vt liberis in fi.C.de Collat Et tũc idem erit quod in ſuo filio.d.l.ſiquis.de liber.agnoſc ſi verò emancipato non fuit victus penuria,tunc nihil petet à patre.d.l. ſi quis.§.ſed ſi filius.ſin autem nihil petenti vltro pater ſubminiſtrauit,tunc exerit alacriter caput.d.l.quæ pater. vt nec filio in portionem legitimam prętitum à patre ſtudiorum ſubſidiũ imputetur,nec fratribus conferatur,vel in diuiſionem veniat, niſi probent patrem credẽdi animo erogaſſe arg.l.fi.C. de dot. promiſſ.d.l.neſennius.ff.de negot.geſt.quia præſumptio pietatis paternæ grauat hæredes alios onere probationis l.cùm alienam.C.de legat.at quod dicitur patrem pietate paterna & de-

bita impendisse,ad debitum respicit naturale tantùm, sed nec vere naturale: quia veniret in compensationem.l.etiam.ff. de compens.& ita cùm pater esset debitor filij, non posset eidem animo credendi viaticum impertiri,quin compensaret. sed est debita pietas seu obligatio naturalis tenuis, qualis donatarij erga donantem.l.28.§.consuluit.de petit.hęred.l.si pignore.de furt.cùm sit emancipatus filius.Ergo filio in potestate sine dubio pater studiorum impendia pro fortunarum suarum modo dabit,sicut alimẽta & pabulum menti suauissimum. d.l.qui filium.vbi pupill.educar.debeat. Accedit quod tutor mercedes præceptoribus pupilli ex officio præstare cogitur, non quantas minimas potest.l.cùm plures.§.fi.ff.de admin.tutor. ita vt eiusmodi sumptus studiorum alimentis exæquentur.l.fi. C. de alimẽt.pupill.præst.& inter necessaria in filium impendia veniãt alimẽtis similia.l.de bonis.§.non solú.de carbon.edict. quãto magis pater quo nemo melior tutor curator ve inuenitur.l. fi. de curator.furios.C.finge alimenta ægrè complecti studiorum impensam,tamen ad hãc patrem adigi fatebere, quia vltra eam ad cætera etiam prestanda filio obligatur pie.l.si quis.§.non tãtùm.ff.de liber.agnosc.certè cæterorum nomine cùm defuncti affectio suadet disciplinæ sumptus venit.l.legatis.cum.l.seq.ff. de alim.leg.Nec obest quod in.d.l.sed Iulianus.§. proinde. ad macedon.inspicitur circa sumptus studij id quod pater filio solebat subministrare,igitur si nihil solebat,non obligatur tertio filij creditori:quoniam non dubitatur ibi quin pater obligaretur,sed tantùm quatenus:& responsum est probabilem modú frustra excedi à creditore.erit autem apertè probabilis, quem pater prior ordinauerit licet sit profusus.l.3.§.proinde.ff.de in rẽ vers.& hoc ibi Vlpianus existimat. respicitur verò quod vltimò pater expendebat.l.mela.vers.sed si.de alim.leg.in dubio putem creditorem cum temperamento delectuque debere filio alieno studenti credere.ita tamen vt non tam inquirat quid pater tetricus expenderet,quàm quod deceret eum expendere.l.1. de infantib.expos.C.in dubio tenue,quia viaticulum vocat Iurisconsultus Romæ studentis.l.si longius.§.fi.ff. de iudic. prætere in eo loco debet credere pecuniam, vbi verisimile sit eo

modo

modo patrem vſurum idq; diſquirere, ne repellatur exceptione ſenatuſcõſulti.l.Macedoniani.C.ad Macedon. quare probabiliter ſcire debet à ſe dandam pecuniam in vrbe ſtudioſis & doctoribus frequentata in ſtudiorum vſum conſumẽdam.l. fi. ff.de exercitor.action.vel dũ it ac redit eò, vbi celebre auditorium eſt.l.qui mittuntur.§.fi.ff.ex quib.cauſ.maior.
6 Quæ ſi curauerit creditor filij, munitus erit aduerſus patrẽ tãquam filij doctrina locupletatum actione de in rem verſo in ſolidum.quippè cùm pater filium artificio extructum inuitus non alat.l.ſi quis.§.ſed.ſi filius de liber. agnoſc.ergo qui adminiculatur, vt alienus filius ſtudiis inuigilet commodiſſimè, patrem proſperat & exonerat intra quãtitatem, quam pietas paterna non recuſaret.d.l.Macedoniani.ideſt, verſimiliter vel recuſare non deberet.vt illud: non facias aliis quod tibi non vis can.1.diſt.1.ideſt, quod nolle debes.l.4.ff.de legat.2.ſic in.§.generaliter conſtitut. quæ de dignitatib. col. vj. Iuſtinianus ait conſules & prǽfectus liberari à patris poteſtate: quia & ipſi patres gaudent, & pro filiis vltro peterent imperium tale, nempe à veriſimili voto parentum ſic ratiocinatur oſtẽdens per filios patres nobilitari: per illuſtrem namque filiũ vita duplex quodammodo efficitur parentum: nec Sophroniſcum Socrates moralis philoſophiæ cælitus demiſſæ author expirare patitur. aut eius diſcipulus Plato Academicorum princeps Ariſtonem patrem.quinetiam facit vt huius originem ad Codrum regem Athenienſem reuocari lætemur ſat pio vtique blãdimento Diogenis Laërtij.Iam verò ſi pater compellitur eas refundere expenſas quas alius filij ſtudioſi gratiã fecit, ſequitur patrem ſi impenderit non recuperaturum: & cõtra ſe ipſum filio ſecuritatem veriùs parare teneri.l.frater.§.porrò.ff.de cõdict.indeb. ſic in.d.l.quæ pater..definiri docuimus & in.d.l. Macedoniani. vbi neſcio quid perſtrepit Accurſius de libris ſplẽdidè inauratis filio ſtudenti ex mutua creditoris pecunia, vt de iis non ſatisfiat ei à patre, niſi quoad peculium filij. ſanè imperator nihil aliud vult quàm Macedoniano ſenatuſconſulto non eſſe vllam vim in pecunia mutuatica ſtudiorum cauſa, in alios quoque vſus Macedoniano non eximi filium, ſi peculium habeat. l.1. C.

ne filius pro patr.item ex causa studiorum quæ à filio in patrē vtiliter resilit, vel ex eius iussu,actionem esse perpetuam contrà patrem:ex alia vero causa annalem à tempore quo excussus filius à patrio iure inuenitur.l.1.ff.de in remvers.itaque Accursius cum literis studiorum inauratis laborās intetpretationem in totum plumbeam attulit.dum suspicatur de illis patrem nō nisi peculio tenus obligari. sanè generaliter extero creditori nihil aliud prospiciēdum venit,quàm an tales impensas pater sit solitus facere:vel an tales verisimiliter inchoaret pro fortuna sua splēdida senatoria fortè aut alterius dignitatis locupletioris.l.filiusf.§.1.ff.de donation.in hac enim re disquirēda velim vtcunque curiosum creditorem, vt pecunia in rem patris vertatur.l.3.§.sed si accepit.ff.de in rem vers.& opes paternę obligationi augendæ proficiunt,imò etiam inchoādæ.l.1.§.præterea.de tutel.& rationib.distrah.ff.

7 Quod si cùm antea filius non inceperat studere iuri Ciuili vel alij disciplinæ impensa non mediocri comparandæ, & extraneus filiumfamil.institui ea pecuniis datis curauerit, tenetur pater,si fœliciter successerit:sin minus,non tenetur.nisi antea pater met filium imbui voluerat. l.si negotia. ff. de negoti. gest.tamē in filium creditor actionem paratam subsidio haberet ob inopiam vel supercilium improbantis patris.l.in causæ. 1.§. interdum.ff.de minorib. l.si duobus.§. 1.ff.si mensor. fals. mod.nam pater causari potest filium à literis abhorrētem frustra mutuum accepisse.nec ei artem iuris magis scriptam fuisse quàm de agrorum cultura sterilibus agris.at filius turpitudinē propriam temere insumptæ pecuniæ allegans, quia hebetis sit ingenij aut vagi,non perinde audietur.l. transactione.2.C. de transac.nec enim debent studiis nisi docibiles destinari cap.fi. de Magistr.& quilibet debet vires suas nouisse.l.idem.§.1.ff.ad leg.aquil.qui enim pondus suum metitur, id ferre solet. atqui cùm pater consentit erudiendo filio supra murem indocili, eidem imputatur,si fructum ex prædio sterili incassum speret.l. statuæ.ff.de vsufr.ipse viderit,& sibi habeat sine amici creditoris iactura.

8 Iam superest,vt paulisper Bartolum audiamus de libris dis-

ferentem,quos studioso filio pater concessit: vtrum cõferri eorum pretium fratribus æquum videatur. si,inquit,pater emit filio libros,& tradidit iam aduocato & in foro militanti, non conferet eos.quia iam sint quasi castrensis peculij.l.1.C.de castrens.pecul.lib.12.l.castrense.ff.eod. nec reuocaretur donatio eiusmodi tanquam confestim valida.l.4.C.famil.Hercisc.& in hoc articulo mirificè reficior Bartoli opinione.Idem censeo cũ illo,si filio nondum iudici aut causidico donauerit libros,verũ contigerit vt ante patris mortem in foro vel in æde sacra literatam militiam obeat,pertinax est donatio & irreuocabilis. nã pater non adimens roborat donationem.l.siue.C.de donation. l.donationes.§.pater.ff.eod.Siverò,(inquit Bart.iam declinans in reproba) pater priùs vita functus est quàm scholaris filius Magistratum iniret,vel causas ageret, aut aliter quasi militaret, vel certè doctor esset, tunc conferret donata à patre: quia,inquit,non habet filius aliquam dignitatem earum quæ nominãtur in.l.fi.C.de inoffic.testam.& quia discipuli Magistrorũ priuilegiis non fruuntur.l.1.de excus.artific.l.medicos.de profess. eod.lib.planè nõn videt Bartolus in.d.l.fi.C.de inoffic. testam. tantùm enumerari causidicos & professores scientiarum, item archiatros,idest,medicorum principes exempli causa,quod nõ solet restringere regulam.l.30.ff.de damno infect. nam certum est presbyteris suum esse peculium quasi castrense.d.l.sacrosanctæ.C.de episcop.& cleri.de his tamen nulla mẽtio.d.l.fi.deinde cùm volumus scholari studioso seruare libros, ne conferat fratribus,non propterea æquamus eos Doctoribus legum vel aliarum disciplinarum in honoribus: sed hoc tantùm exigitur à nobis,vt eos non conferant non enim ideò tyroni negamus peculium, quia vltimo loco ponatur in sedibus & ordinibus l. fi.de tyronib.lib.12.C nam nec aduocati disertissimi vel professores castrensis peculij instar habentes liberè ita testantur omissis ritibus vt verè militantes & Martis subeuntes veram aleam.d.l.fi.C.de inofficios.satis est quod illi præter alios filiosfamil.hoc habeant,vt in potestate parentis manentes pro arbitrio,solemniter interim,testentur.Verùm priùsquam militariter quasi collatis signis aduersus Bartolum confligamus, fas est

ostendere libros in gratiam filij studentis coemptos & concessos, siue legibus nauet operam siue alij ingenuæ disciplinæ, nō conferendos fratribus: quamuis fateamur eosdem nō esse quasi castrensis peculij. cùm iam docuerimus filium à patre necessariò alimoniam accipere, & cætera, idest, quæ ad alendam mentē tanquam partem hominis præstantiorem & vitæ prolixioris spectant, vt disciplinam & mercedes præceptorum pro facultatibus paternis, sicut vestimenta & habitationem. l. legatis cū l. seq. & l. fi. ff. de alim. legat. maximè cùm plerique literarum amore flagrātes habitatione potius careant (vt Diogenes Cynicus dolio contentus: vel vestitu, vt sapientes Ægyptiorum nudi, & ideò Gymnosophistæ vocati, aditique ab Apollonio Philosopho, vt Philostratus tradit.) quàm librorum iusta supellectile. secundò, postquam superiùs demonstratum est alimēta hæc studiorum filiis præstita in rem patris verti, & à pietate paterna verisimiliter præstitum iri, sequitur idem sentiendum de libris. quia cuicunque iure aliquid tribuitur, ea quoque præuia conceduntur sine quibus ad id præcipuum non perueniretur, licet potiora fuerint. l. quoties. C. de iudic. l. 2. ff. de iurisdict. potissimum ex testātis voluntate adminicula rerum accedunt. l. 1. §. 1. ff. si vsusfr. pet. atqui sine libris ali animū literatura impossibile est: ideóque seruantur libri scholaribus obligatis vt arma militibus salua dignitate vtrorumque, sicut Accurs. notat in. l. nepos de verbor. signif. nisi quis Druidum Gallorum disciplinam proponat: quos Cæsar lib. 6. de bello gallico scribit nihil literis mandasse occultioris Philosophiæ, vt penitus memoriæ præceptiones seriæ mandaretur. sed hoc inusitatum est. nec vsquam illud magis obseruatur quàm in re alimentaria. l. qui penum. §. pe. & fi. ff de penu. leg. vbi de quibusdam libris ac chartis dubitatur. Accedit, quod rei legatæ instrumēta ad id cōcinnandum præparandumque accommodata accedunt. l. in argento. ff. de auro & arg. leg. ff. l. pe. ff. de pen. leg. planè scholaribus instrumenta libri sunt potius quàm arma militibus. nec enim ipsis tantùm studemus sed etiam propter ipsos medullitus intelligendos. §. discipuli. prom. ff.

9 Nec vt quidam somniis excitati autumarunt, est hæc libro-

rum donatio ob causam studiorum, & ideò conferenda auth. ex testamento.C.de Collati.alioquin alimenta bene pasti filij conferrentur.quia vt aleretur ei affatim data fuerunt.permittamus hoc de dote dici,quæ à patre datur filiæ vt patrimoniũ separatim extra alimentorum rationem.l.in eum.ff.de religiosis & sumptib. & quodammodo à patre datur festinanter, vt filiæ pudicitiam seruet incolumen.l.mulier.§.pe.ad trebellian. ff.alimenta igitur vt viuatur tribuuntur, & libri filio vt artem doceatur qua se alat,& patrem subleuet: dos autẽ vt commodiùs viuat filia adulta, sine qua tamen quandoque nubet & elocabitur.neque enim necessariò requiritur.§.neque.de trient. & semiss.col.3.

10 Adhuc amplius vrgeo aduersus Bartolum,ac contendo libros scholari filio à patre datos non conferri fratribus post patris mortem,etsi filius nec doctor,nec causidicus,vel sacerdos euaserit,licet etiam falso fatear hos in rationem alimentariam non habendos,Eo magis hoc assero,quia libri instrumenta sunt futuræ militiæ magis quidem quàm arma equiue.nam armis & equis viatores ac venatores impunè vtentur extra causam belli.l.1.ff.ad leg.iul.de vi public.libri verò non nisi studiis vsui esse queunt.atqui eadem est ratio iustrumenti quę rei principalis,cuius instrumentum est,vt ostendi ex.l.in argento.ff.de auro legat.addatur.l.2.§.si conseruatis. ff.ad leg.rhodi. præterea quæcunque donantur filio militiam eunti non accepturo nisi miles foret,ea castrensis sunt peculij, modo re ipsa tradantur nec enim emisse eius nomine sufficeret.l.1. de castrens. pecul. lib.xij.C.idem si nummi filio dẽtur,vt arma compareт.l.si mulier.ff.eod.sicut arma otiosa militem nõ facerent,nec libri studiosum desidem,nec multa barbita citharædum quia libri desiderãtur,& librorum vsus l.semper.§.licet.ff.de iure immunit. Accedit vulgatũ Martiani testimonium in.l. legatis.§. ornatricibus.de legat.3.vbi non sequãr Bartolum fauori legatorum & testamenti id ascribentem cùm sit iustissima causa studiorum. l. nec non.ff.ex quib.caus.maior.Martianus verò respondit illic, id quod Imperator in.l.1.de excusati.artific. peritiores in dies fieri Magistratos dum docent,& se ipsos exercent.vnde, inquit

ille, si legentur ornatrices ancillæ, cedent illæ quoque quæ paucis mensibus ornandi operam didicere: alioquin nullę cederēt, cùm omne artificium incrementum accipiat. adeò vt M. Cato, diceret se aliquid quotidie discētem senescere. alius etiã discere optat alterum pedem in sepulchro habens. l. apud in fi. de fideicommiss. libert. quod si quis putet Martianum duntaxat explanare mentem defuncti inter ornatrices adnumerantis eas, quæ vixdum inceperunt, sicut auri cælati verbo id venit quod cęlari cœpit. l. & si non. §. infecti. ff. de auro leg. hoc equidem fateor: sed ratio generalis quæ subiicitur artificij cuiuslibet quotidie increscentis, ostendit scholarem nõ differre à doctore specie, sed tantùm temporis spacio & experientia, ideóque iure nõ separari à militante in castris musarum vel Iurisprudentiæ. l. fi. ff. de fundo instruct. nam & Iurisconsulti consilium præbentes summis præsidibus, & eisdem salubriter assidentes non alio sæpius nomine quàm iuris studiosorum lætantur. l. 1. ff. de offic. assessor. Doctorem in multis scholari præferam & tyroni veteranum, vt superius fateor: sed quin tyro peculium castrense habeat, scholaris quasi castrense pari beneficio non admittam. l. 2. de excus. artific. C. maximè in libris à patre concessis numquam admittam: sic namque adiuuo iustissimam studiorum causam. l. nec non. ff. ex quib. caus. maior. sic eundi & redeũdi ad castra literaria impendia militiæ comparo. l. qui mittuntur. §. fi. eod. eodem modo filiumfa. studētem adiuuo, quod lex eum immunitate donat. l. 1. & 2. qui ætat. vel profess. & quo denique modo lex studentes miseratur velut spontaneos exules mille periculis expositos, scientiæ amore incensos auth. habita. C. ne filius pro patr. Teneo iam hanc amabilem rationem per vestis laciniam, quoad ei iungam. l. vnic. de bonor. poss. ex testam. mil. ff. vbi. qui militiæ pericula eadem subeunt, eodem iure potiũtur, vsque ad remiges in nauibus & excubitores. Quinimo non mihi videbor prępostérus interpres, si scholarem militare periculosius quàm Doctorem in foro celebrem notauero. hic enim tãquam in palæstra suauiter exercetur & idcirco Athleta iudiciorum vocatur omni ęuo fœlix. §. & quod iam. proœm. ff. qui lucri dulcedine ac laudis leuat laborem: item emeritus quiescit po-

tius quàm militet.l.1.de comitib.& archiatris lib.xij.C. perinde ac si præteriti laboris præmium capiat magis quàm præsentis melle illiti.l.1.C.de assessorib.vnde Stratocles & Dromoclides caufidici solitos se inuicem ad messem auream compellare Plutarchus in Politicis refert, sic enim curiã per iocum appellitabant.& mercedes forensium solatij nomine censentur.l.3. C.de aduocatis diuersor.iudicium &.l.si quis de proxi. sacror. scrim.lib.xij.C.sed scholaris fuligines ebibit lucubrationum. spe illectus,nondum præmiis,se ipsum exinanit,& deterit fortunas suas præsentes,hospitibus infidis obnoxius,in summam à vilissimis hominibus cõtumeliosè tractatur, vt Imperator recensuit in.d.auth. habita.qui vel silicem posset misericordem reddere.taceo longissimas peregrinationes, aut veriùs exilia, quales fuere Platonis in Ægyptum aut Pythagoræ Ægyptiorũ & Chaldæorum occultiores disciplinas scrutati, & in sua dogmata traducentis,si quid Suidę creditur.hos viros quísque similes fatebitur militibus pernoctantibus, quos buccina exuscitat non gallinaceorum cãtus,vt causidicos aut causidicis beatiores iudices,qui in stadio legum legitimo tempore decurrerint.d. l. 3.C.de aduoc.diuers.iud.nam & si alij aliis celeriùs studendo proficiant,tamen tempus certum præstitui necesse fuit.l.nam aliter.ff.de tritic.vin.legat.

11 Quæri solet de libris per filium distractis & abliguritis, an conferendi æstimatiõne veniant,vt Bartolus existimat in auth. quod locum.C.de Collationib.vbi filia quæ à viro ad inopiam vrgente dotem non repetiit tempestiuè,sibimet imputat culpã negligentiæ:quanto magis filius negligentiæ fines transgressus ob luxum & aleam? Alij considerant dotem consumptam imputari filiæ,quia si eam à marito recuperasset,conferret vtique. at libri non ita conferuntur,vt iam persuasimus, si filio studioso frugique tradantur à patre.Quid si alia ratione assentiar Bartolo,ideo quod nihil versum fuerit in rem patris ex filij studiis. tum quia alimentorũ vocabulo nõ veniunt libri ei, qui nõ esurit literas,neque illis vesci dignatur:& ex persona eius ac charitate votoque patris metimur alimentorum modum.l. pe.ff. de aliment.leg.Tertiò quoniam ganeones & malè meritos egesta-

te premi expedit.l.bona.ff.depofit.quartò quia libros armis af-
ſimilauimus,ſed arma turpiter amittenti non ſuccurritur.l.2.
ff.de captiu.non omitto,quod exemplo erit filius vnus ita mul-
tatus cæteris ad ſtudia impenſe miſſis,ne prodigere quàm pro-
ficere malint.l.1.C.ad legem Iul.repetund.nec impuberem do-
li capacem excipio.l.impuberē.ff. de furt. nec minoribus xxv.
annis in delictis aut dolis ſuccuritur.l.ſi ex cauſa.§.nunc vidēd.
ff.de minorib.certè facinus eſt ingens ſpem patris fallere, & re
optima peſſimè vti,atque medicamentum in venenum conuer-
tere.l.3.ff.ad leg.cornel.de ſicar.vbi propter exemplum perni-
cioſum pœna incutitur,licet malus abſit animus: multomagis
ergo vbi iuuentus,cui ſuas inſtitutiones Iuſtinianus dedicauit
vt legum & literarum cupidè,libros nequiſſimè conſumpſerit.
niſi pater certò ſciens filium à ſtudiis alienum & vecordem li-
bros dederit:quia tunc culpandus veniret.l.quòd ſi minor.§.re-
ſtitutio.ff.de minorib.ſi enim inſtar armorum libri habent, fu-
rentem perperam armamus.l.qua actione.§. pe.ff.ad leg.aquil.
in rem quoque patris volentis verſum cenſetur id quod diſpe-
riit.l.3.§.nec nō.ff.de in rem verſ.Quòd ſi quis renitatur ob de-
bitum naturale patris in filium alendum.l. quæ pater. ff.famil.
Herciſc.eoque putet impediri repetitionem etiam in re dura.l.
5.§.imperator.ff.de ſoluti.fatebor impediri, ſed retentam æſti-
mationem librorum penes filium in legitimam portionem ei-
dem acceptam ferri aſſeuerabo.& in pari cauſa potior erit con-
ditio filij poſſidētis.l.2.C.de condict.ob turp.cauſ.ſed id quod
à filio non auocatur,eiuſdem periculo manet qui ſecus eſt vſus
quàm promiſit,& quàm expediuit.l.qui iumenta.ff.de furt.l.in
rebus.ff.commod.Quòd ſi filius reſipiens ſtudiis poſterioribus
præteritam ſocordiam & nequitiam aboleret viuo patre , & iu-
uenile dedecus noua diligentia redimeret,ignoſcendum exiſti-
marē.§.ſi vero is.in auth.de monach. col.1. cùm conſtet Scipio-
nem Affricanum punicis trophæis & virili ſobrietate ac prudē-
tio clarum adoleſcentiæ annos infami voluptate traduxiſſe:&
apud Græcos Themiſtoclem in amoribus nimium in iuuenta,
teſte Æliano,ſed poſtea alio Reip.amore æquè percitum laudi-
bus claruiſſe.iuuat.l.in ipſius.C.famil. Herciſc.

Nunc

12 Nunc disquirendum restat, an ea quę pater expendit in militiam seu dignitatem filij, in legitimam partem huic computētur, vt consequenter conferātur. Nec enim iura sibi hac in quæstione concinunt. nam Vlpianus tradit Papinianum dicere id quod à patre filio nomine dignitatis datum est, vel debetur, nō conferri. l. 1. §. nec castrense. de Collati. Sed Iustinianus ait in. l. omnimodo. §. fi. C. de inofficios. testam. quæcūque occasione militiæ ex re patris ad filium illatæ prouenerunt, si militia ad hæredes transeat siue vendi possit, in legitimam imputari, igitur & conferri. l. illud. C. de Collation. vbi idem confirmat, quod dixerat in. d. §. fi. vbi excepit Silentiariorum munus quieti palatinæ studentium: sicuti patet ex Procopio libr. 2. de bello persico, vbi Diogenem cum Adolio ministro quietis in palatio, quod munus Romani Silentiarium, inquit vocāt, per Belisarium militiæ bellicæ præfectum refert. Suidas Anastasium ex silentiario factum imperatorem scripsit: idem Zonaras, adiicítque id munus humile fuisse τῶν χαμαιζήλων δὲ τοῦτο ἀξιωμάτων sed hoc verū respectu regię potestatis, quam tamen Senatu & exercitu adstipulante consecutus narratur. Valentinianus Silentiarios miris honoribus cumulat atque immunitatibus, nec non Senatorio honore, cùm per continuos xiij. annos, inquit, inculpatas excubias peregerint. l. 3. de silētiar. lib. xij. C. quod videtur manasse ab eo quod Paulus scribit puniri capite qui palatij excubias deseruerit. & si ex causa desertionis mox restituatur, donaria stipendiaque medii temporis non recipere, nisi princeps id expresserit: nam tales militiæ sequelam habebant stipendij ac salarij è thesauris publicis plerunque pręstandi, licet venales essent. l. creditor. §. inter. ff. de actionib. empt. neque aliquid mihi videtur æquius ac commodius quàm filiofam. expensam ferre pecuniam insumptam pro dignitate: quippè quæ ipsius personæ ita cohæreat singulari iure, vt patri non acquiratur, cui alioquin cætera acquiri solent. l. 3. §. si quid. ff. de minorib. xxv. l. placet. ff. de acq. hæred. vnde ingens vtilitas paratur filiisfamilias: fient namque propensiores parētes ad comparandam filiis militiam non sine sui imminutione patrimonij, si præsenserint eam demum in portionem legitimam illis imputatum iri. proinde fas

est ipsos hac in re prægrauari, vt iisdem lubentiùs faueatur. l. quod si minor. §. non semper. ff. de minorib. xxv.
13 Sed iam Papiniani sententiam discutiamus, onera militię filio acquisitæ communia fratribus facientis, nec sibi est dissimilis in. l. si vni. §. Neratius. ff. famil. Herciſc. vbi de eo scribit, qui cùm plures filios haberet, vnum ex his τὴν ἀρχὴν, suscepturum professus est, & priusquā munere fungeretur, mortuus est omnibus filiis hæredibus institutis: hinc quæsitum est, an is filius quod in munus impendisset, iudicio familiæ Herciscundę consequeretur: quod magis admittitur. est autem, ἀρχὴ, Magistratus vnde apud Plutarchum in libro de præceptis ciuilibus Epaminundas Thebanis suis dixit: οὐ μόνον ἡ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν, ἀλλὰ καὶ ἀρχὴν ἀνὴρ id est, non tantùm Magistratus virum demonstrat, sed etiam Magistratum vir. significat quoque ἀρχὴ, eodem sensu principium seu principatum: quia Magistratus quoque princeps ciuitatis vocatur. l. spadonem. §. Si ciuitatis. ff. de excus. tutor. & psalmo C I X. μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ δυνάμεώς σου. idest, tecum principium, seu principatus, in die potestatis tuæ. accedit, quod magistratus anno ineunte Calend. Ianuariis suscipiebantur electione ciuium. l. Publius. ff. de conditi. & demonstrat. & pater filio obeunti functionem consentiens, pro eo fideiubere credebatur. l. quoties. ff. ad municip. vt notat Accursius, sed non reuelat intima dubitationis, quare filius tanquam reus principalis erga patrem benignè fideiubentem non teneatur fratribus cohæredibus, & in ius fideiussoris excepta portione vnica debitoris confusa, succedentibus, & mandati actionem habentibus, sin reus ille nitatur iure singulari. l. furti. §. mandati. ff. de iis qui notant. l. cùm reus ff. de fideiussorib. itaque omnes hæredes fratres æqualiter obstricti manebant non solus ille honoratus, idque speciali iure & fauore non vulgari: quia nimirum non imputatur ei in portionem suam, nisi quatenus post mortem patris publici muneris onus superuenit. l. & si filium. ff. de munerib. nam præcedentes expensas munificus pater gaudens honore filij, & suo consequenter, largiri vltro creditur. d. l. 1. §. nec castrense. ff. de Collati. vbi angustat Bartolus has impensas causa dignitatis ad eam quæ vendi nequit, vt si

filius fiat Doctor, vel Episcopus. ego verò existimarem in patre mediocrium facultatum qui pro diplomatis Episcopi designati multum impendisset, imputandum filio id quod erogasset vltra pietatis paternæ verisimilem coniecturam, cùm nec studiorum fauor hunc modum exerat. l. sed Iulianus. §. proinde. ff. ad Macedon. præterea sic fient patres procliuiores ad expēdendum pro filio ea, sine quibus filius ad summum dignitatis nō veniet fastigium: ne vno filio splendidè viuente cæteri esuriāt. vt si quid principi detur eximium, quò magis militia de patre in filium transeat præter naturam suam, quasi ematur ipsa, sed nunc vilius filij causa. l. vnicuique de proxim. sacror. scrin. xij. C. vbi benigniùs agitur cum filiis honoratorum licet rudiusculis. potius ergo imputatur militia ad hæredes permeans. & certè in vtraque magnopere fauetur, iis quorum pecuniis cōparatur euētu solo quamuis non consilio. l. fi. C. de pignoribus. proinde assero in d. §. nec castrense. nihil tractari de ipsa militia seu munere, quòd vendatur, vel donetur gratis, sed nominatim de oneribus militiæ accedentibus propter festiuitates, xenia, epulum, ludumque gymnicum, qui honori eorum edebatur quos dignitas venalis aut minimè venalis honestabat. d. l. Publius. de condit. & demonstr. §. quantumcunque. de consulib. col. 4. in auth. nam dum sine pecunia quisquam fiebat consul aut senator, largitione opus erat non ad coēmēdum genus hoc oneris, sed vt festiua hilaritas decoraret ineuntem munus. idem si militia vendita fuisset. sicut hodie palam in ordinem senatorium adlectis videmus: quibus sine dubio summa in ærarium principis illata imputatur in legitimam filij: aut certè quanti sit ea militia tempore paternæ mortis. l. illud. de Collat. C. ergo deducto onere præcipuo. l. non amplius de legat. 1. ff. non coccinea vestis aut epulum à patre datum. ideóque inter virum & vxorem in iis rebus donatio consistebat. l. quod adipiscendæ. cum. ll. seq. ff. de donati. inter vir. quia maritus non propterea fiebat locupletior. l. si sponsus. §. Concessa eod. hoc liquet in l. si propriis. C. eod. vbi donata marito ab vxore, vt ad dignitatem prosint, non reuocantur: quia non emendæ sed ornandæ dignitatis gratia mulier erogauerat, sicut in patre iam diximus. cùm largitur obiter pro

filio,nec ipſum locupletat,ſed decorat.lucri enim lex meminit. l.illud.C.de Coll.&.d.l.omnimodo.§.fi.de inoffic.teſt.nec pro militia expendit ſed pro introitu militię,vt deſcribitur in.l.pe. §. alumno ff.de legat.3.M. Tullius in oratione pro L. Murena Conſule deſignato publicam magnificentiã populo Rom. gratiſſimam fuiſſe narrat,præſertim eorum qui Magiſtratus peterent,vt plures ſuffragatores haberent citra ambitum & corruptelam.Sic intelligitur.l.nuper. de donati.inter vir. tolerabilia namque ſunt ea quæ conſuetudo approbauit,neque horreſcunt ſanctionem.l.fi.C.ad leg..iul. repetund.deſuetudine inumbratam.faxit Deus vt qui emunt dignitates publicas, honeſto ſaltẽ lucro contenti ſint.neque curſim velint ſibi refundi,quæ ſemel in eas inſumpſerunt,& ſi quid lautitia ac liberalitate erga amicos expenderunt,ne mox auarè rapiant,ſed hoc iam pene vſitatum eſt circa adipiſcendos honores quod olim frequens & laudabile fuit,de quo Plinius iunior.lib.x.epiſtolarum ad Traianum Aug.qui,inquit,virilem togam ſumũt, vel nuptias faciũt, vel ineunt Magiſtratum,vel opus publicum dedicant,ſolent totam Bulen atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel ſingulos dare.quod an celebrandum & quatenus putes,rogo,ſcribas.Budeverò fuit conſiliariorum cœtus, vnde τῆς βȣλῆς δόγμα.ideſt, ſenatus decretum.l.2.ff.ad velleian.non prætereo.d.l.Publius. ff. de condition. & demonſtr. Nolo plura nouè inuenta ſcribere,ne duo alieni laboris prędones aliique, quorum hæc terra ferax eſt,hæc qualia ſunt contrectent.Sed eos iam dimitto;cum quibus lex negat iuſtũ eſſe bellum,nec eos hoſtium nomine dignatur:& aduerſus ſtrenuũ ducem Bartolum in certamen alacriter deſcendo.

14 Secundum tempus Collationum ille metitus eſt æquitate Scæuolæ Iuriſcõſulti.l.ſi filius.de Collationib.vbi inter diuerſo iure ſuccedentes obtinet collatio locum,ſi modo potuerant eodem iure ſuccedere.cũ m.filius in poteſtate fuiſſet inſtitutus pręterito emancipato petente mox bonorum poſs.contra tabulas aduerſus teſtamentum:& ſic ex huius perſona ſuus quoque potuit eandem petere.l.ſi poſt.§.fi.de bonor. poſs contr. tab.etiam ſi præteritus non petat,quamuis eſt vtilius inſtituto,ſi etiã præ-

teritus petierit.l.nonnunquã de legat.præst.ne videlicet præstet legata nisi coniunctis personis. itaque illic Scæuola refert edictum prætoris rigidè sumptum habere, ne Collatio intersit, dũ instituto suo emancipatus præteritus expugnat testamentum. sed tamen quia emancipatus iniurius fratri fiat magis est vt cõferat eidem. Inde Accursius & Bartolus colligunt, ex edicto prætoris inter succedentes diuerso iure cessare Collationem. quod mihi non admodum placet. si quidem potius voluit Scæuola ex edicto prætorem non conferri prisco iure iussisse institutione vigente.l.1. C.eod. atqui in potestate positus fuerat institutus. quòd si quis regerat in diuersum, bonorum possessionem contra tabulas ab emancipato petitam reducere prorsus testamentum ad causam intestati: nec sic se habere vt querelam inofficiosi testamenti, quæ quoties vnus filius est institutus, alter exhæredatus pro parte tantùm rumpit.l.cum duobus. C.de inoffic.testam. verẽdum est ne cum Accursio decipiatur in.d.l.si filius. vbi lex vim facit in filio in potestate instituto, qui tuetur suam institutionem si malit, licet frater emancipatus ex præteritione petat bonorum possessionem contra tabulas vt in.l.Is. qui.§.sed si vnus.de legat. præstand. Quocirca Scæuola habens præ oculis mentem prætoris ob propulsandam iniuriam Collationem introducentis potiùs quàm verba, iubet emãcipatum conferre suo, cui est iniurius reducens testamentum ad causam intestati per contra tabulas saltem ex suo latere: & eo magis, quod frater suus non solùm fretus est iure patriæ potestatis ob quam nihil non patri acquisiuit, sed etiam habebat patris iudicium amabile ex testamento velut longè charior, vnde crescit vis iniuriæ repellendæ. Et denique habebat regulam iuris, quæ non patitur in cuiusquam odium verti, quod in fauorem eius inductum sit. quare filius emãcipatus non potuit ciuiliter recusare Collationem ob vnam causam, quia frater institutus esset: cùm vulgò dicatur recteque exclusum aliquem à bonis certæ personæ forte ingratitudine, non ab illis excludi quæ ex testamento capit.l.si patronus non.ff.de bonis libert. sicut nec assessor post finitum spacium sui muneris ad idem reuerti prohibetur, si prouocetur ac nominetur, secus si affectauerit.l. liceat. C.

de assessorib. &.l. v.eod.tanti fecerunt legumlatores accersiri quemquam ab aliis,& hęredem institui potiùs quàm ab intestato succedere.& ea fuit ratio quondam.vetitæ Collationis, si testamenro locus fieret.verùm in.d.l.si filius.emancipatus ad intestati causam reduxerat iudicium defuncti pro parte & conatu suo per bonorum poss.contra tabulas,sic obrepens particeps erat rerum paternarum, ideóque fratri suas iure conferet. nec vim vllam facio quòd iure diuerso succederetur, qualem quidam faciunt ex Papiniano & Paulo in.l.pater filium cum.l.seq. ff.de Collati.dot.vbi pater filium emancipatum instituit, & filiam exhæredauit,quæ per querelam inofficiosi rupit pro parte tantùm,vt assolet,testamentum.l.cum duobus.C.de inoffic. testam.nec cogit fratrem conferre:quia nō ita ille neglectus fuit vt in.d.l.si filius.ff.de Collati.sed vocatus iudicio patris. nec ipsa,inquit Paulus,dotem conferet fratri:cùm diuerso iure frater hæres fuerit.siue plures sint,nihil interest.hanc rationem lābunt in superficie doctores:nec medullitus gustant quid velit. non enim vis facienda est in diuersitate iuris duntaxat:sed magis quoniam emancipatus fretus fuit blando patris iudicio, cū soror è diuerso esset exhęredata.nam quamuis iniusta fuerit exhæredatio,tamen præiudicium habet offensæ alicuius, sicut & præteritio parentis gnari se filium habere. l.si cùm vel.C.de testam.milit.ideóque in matre pro exhęredatione stat.l.filiam.C. de inoffic.testam.l.sicut.C.de testam.mil.ecce quomodo in. d.l. si filius.præteritio obfuit emācipato,qui impugnās patris iudicium conferre adigitur fratri apud patrem viuum gratiori. vnde liquet rationes legum nō superficie tenus sed penitus inspici oportere vt in.d.l.liceat.de assessor,C.vbi assessorem functū munere rursus ad idē redire fas est.quia inquit, qui semel probatus est,non debet ob hoc solùm improbari. attamen hæc ratio intelligitur in eo qui à iudice vocatur ad assessoriā functionem,non qui sese offert vltro pręsidibus.d.l.v.eod.sic in.l.item mela.§.1.ad leg.aquil.cùm sit pœna,inquit,vno soluente alij nō liberantur.idest,pœna delicti insignis nominati supra dolū simplicem.l.1.§.si plures.ff.de eo ꝑ quem fact. Quòd si quæras cur in.l.nec ipsa,soror à patre exhæredata non conferat dotem pro-

ſectitiam fratri inſti tuto, cui patris iudicium profuturum tantopere commendabamus: Reſpondeo, quia frater ſibi dotem à ſorore conferri non vult: eo inquam, quòd ipſe conferre inuicē recuſat. ſed ſi vellet, vtique ſororem quoque cogeret, vt innuit Papinianus in d.l. pater. cùm ait emancipatum inſtitutum à patre non eſſe cogendum conferre ſorori exhæredi: igitur vltro conferre ipſe poterit, vt prouocet ſororem ad Collationem dotis. nec diuerſitas iuris impediet Collationem vt in l.2.§.fi. de decurionib.ff. ratio eſt quia is qui iniuriam ſe paſſum dicit, conqueri poteſt vel eandem piè diſſimulare.§.fi.de iniur. at quicunque laceſſit, non habet in arbitrio ſuo ne prouocetur iure, qualis eſt qui fratrem teſtamento patris accerſitū interpellat exhæres vel præteritus, & ſimul supremū patris iudicium inquietat. Sed pertinax eſt Bartolus in ſua diuerſi iuris ſententia: nec alia ratione Collationem recipi cōtendit in.d.l.ſi filius. quàm quod is qui ex teſtamento patris ſuccedit, poterat ſimiliter ex fratris pręteriti perſona teſtamentum expugnare, & ſic pari iure ſuccedere, atqui Scæuola non illam rationem affert: ſed totus nititur in iniuria quam emancipatus ſuo filio defuncti facit contra teſtamentum. Quinimo idcirco minus conferendum fuiſſet filio ſuo, quia imputari poterat ei, cur non eodem iure ex fratris perſona ſuccederet per bonorum poſs. contra tabulas. d.l. ſi poſt.§. fi. de bonor. poſſ. contr.

15 Tolle itaque rationem fraternæ iniuriæ, & continuò tolles Collationis materiam vt.l.filium.§.videamus.ff.eod. vbi filio in poteſtate à patre exhæredato emancipatus eſt præteritus, & exterus inſtitutus, qui non adiuit hæreditatem. aiunt vulgò ceſſare hîc Collationem, quod ſuccedant filij diſpari iure alter ab inteſtato, alter bonorum poſſeſſione cōtra tabulas. Quin potius hoc euenit, quòd filius ſuus à patre exhęredatus mox ſucceſſit ſine moleſtia beneficio emancipati præteriti: vt potè quem filium per bonorum poſſeſſionem teſtamento reſtiturum reformidauit hęres inſtitutus extraneus, ideóque non adiuit hæreditatem vt expreſſim prædixit Iuriſconſultus in.d.l.filium. ſed ſurdis illis dulciſſimum melos cecinit, oſtendens hęrede non adeunte exhæredationem intercidere, vſque adeo vt potiùs eodem inte-

ſtati iure quàm diſſimili fratres potiantur paterna ſucceſſione. quodque hoc verum ſit in.d.l.filium. §. videamus. pergit Triphoninus in verſ.& hoc ſit.explanare altero exemplo conticẽtis Collationis,dum emancipato petente bonorum poſſeſſionẽ facit lucrum is qui in poteſtate manſit, honore inſtitutionis à patre quidem decoratus,ſed ex parte exigua cùm haberet cohæredem honoratiorem excluſum demum à filio emancipato prę-terito:vnde ſuus percepit dimidiũ paternæ ſucceſſionis opimũ pro portiuncula teſtamentaria. & eſt quòd gratiam habeat fratri emancipato,ne ſaltem eum Collatione petenda infeſtet: idque ex mente & æquitate prætoris:cùm tamen extorqueri poſſit collatio ab eo per illum cuius occaſione locupletatur.l. ſi filiam.de Collat.dot.ff.

16 Quo fit, ne putem hoc correctum eſſe nouo iure, quo tã ex teſtamento quàm ab inteſtato collatio eſt.non enim hoc quicquam pertinet ad rationem iniuriæ ceſsãtis, cum qua ſimul ceſſat collatio, etiam ſi innitamur diuerſo iuri. hoc adfero propter Bartolum in.d.l.pater.de Collat. dot.hodiè, inquit, non impediret Collationem iuris diuerſitas vno hærede ſuccedente ex teſtamento cum altero ab inteſtato,cùm vtrobique ſit locus Collationi.Sed vt dixi, in diuerſo iure parum virium conſtituo.Quinetiam nihil impediet ceſſare Collationem ex teſtamento ſeorſum,& deinde ab inteſtato, & tamen coniunctim conferri:ſicut in Trebellianicam quartam legata imputantur, item iure hæreditario obueniẽtia,non autem miſtim.l.in quartam.ff.ad leg:falci.l.vim poſſam.§. præſcriptione.ff.de adulter. de qua re Iaſon & reliqui interpretes vſque ad rauim argutè diſceptarunt in.l.vt liberis.nec auſim, ſi nimis repugnent, obſtrepere:nec dubium eſt,filium vnũ ab inteſtato venire, ſi iniuſtè exhæredatus querelam propoſuerit, ita vt reſiduam portionem fratri inſtituto dimittat.d.l.cum duobus de inofficioſ. nec Collationem extorqueat ab illo,quem firmat patris teſtatio.d. l.pater.ſecus ſi per querelam totum patris iudicium deſtrueretur.nam tunc moriente in totum teſtamenro viuida collatio emineret.d.l.vt liberis.C.de Collationib.

17 Tertium tempus Collationis fuit.D.Antonino Pio dotem

filiæ

filiæ contribui iubente,licet iure ciuili succederet existens in potestate.l.1.deColl.dot.atque ita se potius bonis paternis immisceret quàm per vllam nouam aditionem aut per bonorum poss.vnde liberi,succederet.si enim dos est præcipitatio quædam dandæ legitimæ portionis,vt sexui & pudicitiæ consulatur:& præterea si iure dos imputatur in legitimam.l.quoniam 1.C.de inoffic.testam.merito conferetur.l.illud.C. de Collat. & iam suprà demonstrauimus ita alienatam dotem esse àpatris facultatibus,vt ad eas reuerti possit atque cum illis minui.§. quia verò de æqualit.dot.Col.7.l pater filiam.ff.ad leg. falcid. Planè dos illa quæ non est data filiæ succedenti,sed quam ipsa fortè emancipata dedit filiæ suæ nuptiis collocatæ,non veniet in Collationem:quia in bonis suis eam non habet, sicut habet dotem propriam.l.1.§.fi.de Coll.dot.l.filium.ff. de Collat. licet aliquo casu ad matrem patremue, qui filius est quoque defuncti de cuius successione quæritur , scilicet ex pacto redire possit,aut mortua in matrimonio filia sine liberis.l.pater.ff.de euiction.l.1.§.lucratiuas.de impon.lucrat.describt.x.C.vbi nō inspicitur circa dotem,quod aliquando potest accidere.

18 Illud receptum est aduersus mulierem, vt ipsi imputetur, si dos à viro dissipata sit,nec conferri queat à muliere iuris remediis non vtente auth.quod locum.C.de Collationib.non enim tanti est pietas patris in filiam,vt eam rursus dotare cogatur.fingamus dotem si nō iure obligationis,certè officio iudicis filiæ debitam.l.qui liberos.de rit.nupt.ff.num creditori bis idem debitum solui iubebimus? maximè cùm mulieris culpæ ascribatur dotis profusio,cùm sit auara natura.l.si stipulata.ff. de donati.inter vir. quare vbi claruerit mariti bona pessum ire,reuocare debet dotem rebus integris.l. in rebus. C. de iure dot.claruit autem cùm maritus inchoauerit sic abuti substantia sua,vt residuum bonorum vix sit par doti exoluendæ. §.illud.de æqual.dotis:col.7. nam inchoare is etiam dicitur qui valdè perrexit.l.qui furere.de statu homi.ff.quocirca cùm iustè dos mulieri à patre data fuerit, importunè eam consumptā sua culpa denuo petet.l.si cùm dotē. §.1.ff.solut.matr.Sed in alimentis aliud statuerē,& filiam profusa dote à patre ali præ-

ciperem ratione naturali, & iure magis fauente filiis ignauis atque imperitis,qui seipsos alere opificio nequeunt l.si quis.§. sed si filius.ff.de liber.exhib. item aliis personis vitæ sequioris,ac miseratione ideò dignis,quàm frugi hominibus in re alimentaria magis consulitur.l.cùm hi.§.sed & personar. ff. de transacti.filia namque manet quamuis imprudenter se habuerit.§.1.in fi.de incest.nupt.col.2.nec ideo occidere eam permittitur patri, quia nō cogitur bis dotare. l.necare.de liber. agnosc.ff.

19 Sed nos iamdudum expectat quartum ius plenum vtilissimæ nouitatis in.d.l.vt liberis.C.de Collation.vbi sicut in dote iure diui Pij,ita in donatione propter nuptias recipitur sanctione Leonis collatio, non tantùm inter suos sed etiam mirabiliter inter emancipatos:& non modo inter hos sed etiam inter eos qui sui quidem non sunt,non magis quàm emancipati, sed per lineam fœmineam descendunt. quod tertium veteres non senserant,conferent namque inuicem percepta ab ea persona,de cuius successione tractatur.Quartò temperatur collatio emancipatorum filiorum inter se, vt quamuis suis filiis omnia promiscuè conferant.l.ea demum. C.eod. emancipatis tamen vice mutua non conferent, nisi tantùm ea quæ à patre communi profecta fuerunt.ne filius sibi laborans liberè & iugiter fratrem dissolutiorem ac vanum,participem quæstus sui facere cogatur,q̃ si fuisset pariter emācipatus, sibi multa gnauiter peperisse poterat. Emancipatis videlicet liberis, inquit Leo,ea quæ in ipsa emancipatione à parentibus suis(vt assolet) consequuntur,vel post emancipationem ab eisdem parentibus acquisierint collaturis.consueuerat enim pater cùm filium emanciparet eidem pleraque donare,quibus se commode aleret vel negotiaretur.l.2.& fi.C.de emancipat. nec dubium est postea impune donari filio emācipato.l.7. C.de inoffic. donat.

20 Nec dicit Leo Augustus hic Collationem fieri pro tenore præcedentium legum inter emancipatos,cùm ipsemet hoc noui iuris excogitauit:sed vult emancipatos ritu antiquo& tenore legum præcedentium,antequam Leone posterior Iustinianus in.d.l.fi.de emācipati.aliquid innouaret,collaturos vt Do-

ctores explicant, appositè quidem & non sine auxilio.l.liberos.C. de Collati.vbi antiqui iuris mentio fit, sed paruo cum effectu.Vel fortè voluit Leo emancipatos collaturos non præcise,sed pro tenore præcedentium legum idest, si velint succedere, non autem si donatis sibi à patre rebus contenti fuerint.l.pe.C.famil.Hercisc.vbiDiocletianus & Maximianus sic constituunt.

21 Et hoc amplius sanxere donationes factas in filios emancipatos rescindi quatenus inofficiose legitimam portionem aliorum liberorum extenuant inita æstimatione à tempore donationis.l.si totas.C.de inoffic.donat.aut verius in.l.si liqueat. eod.nam in.d.l.si totas.magis disceptatur de reuocatione, quę fit ex mente donatoris propter liberos postea natos, quàm de querela inofficiosæ donationis orta post mortem donatoris. quippè cùm Cęsares ibi alloquantur patrem met ipsum,quem pœnituit suæ largitionis vt.l.si vnquam.C.de reuoc.donat.vbi tamen reuocatio sequitur insolidum natis postmodum liberis quia alij quàm vni liberorum donatum extiterat.si verò horũ vni donatum sit,aliorum mox nascentium fauore nõ fit reuocatio nisi pro ipsorum legitima parte, sicut cùm donatio inofficiosa rescinditur aduersus parentis votum, & contra filium donatarium,qui non vult succedere nec conferre instar filiæ bene dotatæ in.l.fi.ff.de Coll.dot. excepto quòd dos profusa querelam æque patitur inofficiosæ.l.1.C.de inoffici. dotib. & hic est tenor legum priscarum,quo obuiatur liberis patris liberalitate contentis. & successionem ac Collationem fastidientibus cum fratrum iniuria & iactura.Et quia leuant viatorum laborem quodammodo signata lapidibus stadia, diuersis temporibus dinstincta collatio habet perspicuitatem.

22 Idcirco subiungitur constitutio Iustiniani,quinto tempore in.l.illam de Collation. non pertinens ad nepotes & pronepotes inuicem conferentes,sed ad nepotes succedentes cum materteris & auunculis in eam partem,qua quidem successisset mater ipsorum,excepta parte tertia paulopost ad æqualitatem redacta auth.quæ tertiæ.C.eod.nec quoad hoc inter auum maternum & paternum discrimen vllum seruatur.ideò nepotes

ſine diſpendio ſpeciali conferunt, & pariter Collationem à materteris & auunculis accipiunt:multomagis à patruis & amitis etiam iure veteri.l.1.§.ſed ſi nepos.ff.de Collat.dot. Igitur recens ius cauit de ſucceſsione aui materni vel auiæ paternæ, quando pater ſublatus eſt è medio:ipſi enim viuo nihil deperibat.l.ſi maritus.de Collati.C.quemadmodum.vbi moritur fœmina non diſtinguitur vtrum ex filio an ex filia ſuperſint nepotes,vt quoque obſeruauit Accurſius per.§.fi. de hęredit.quæ ab inteſt.& vtique iure veteri iampridem antiquato, ſicut dictũ eſt eodem Iuſtiniano authore, ne quid diminuatur nepotibus vel neptibus collaturis donationẽ propter nuptias atque dotem ſibi datam vel ſuis parentibus.

23 Quia nimirum veriſsima eſt ſententia, quæ vult ſuperſtitibus liberis ex filia dotem ad auum,ideſt, filię patrem non reuerti,& ita intelligi.l.dos. C.ſolut. matr. aliâs patri reddetur dos in ſolatium orbitatis nullo remedio inſtaurandæ. maritus namque vxorem rurſus nanciſci poterit ſæpe gratiorem, non filiam pater.ſed ſuſceptis ex ea nepotibus leuat dolorem, nec filia dulci prorſus caret.l.liberorum.§.fi.de verbor. ſigni. proinde retinet gener dotem pro liberis matrem amiſſam referentibus,aut ex pacto expreſſo: & alterutrum ſufficit.l.ſi pater.ff. de pact.dotalib.quamquam non negem ex abundanti paciſci licere,vt nomine liberorum gener dotem retineat dubitationis tollẽdæ cauſa.l.inter.§.cùm inter.ff.eod. ſed iam extra planum tramitem, quo ire incepimus ventus vehementior æquo nos proiecit,vt nos alibi id quæſtionis dotalis explicuimus.

24 Ad ſextum itaque genus collationis venimus temperatæ à Iuſtiniano in.l.fi.C.de Collation.prohibente aduentitia cõferri.Itaque nemo conferet aduentitia poſt legem generalem inſtar caſtrenſium:quia nec patri acquiruntur quoad proprietatem.l.cùm oportet.C.de bonis quę liber.vnde per rationem. d.l.fi.quia vſusfructus aduentitiorum patri acquiritur, conferendus veniet,ſi fortè fructus filius retinuerit penes ſe quos lex patri addixit.niſi pater conniuens fuerit filium eos conſumere atque ſibi liberè habere voluerit:tunc enim patris nõ eſt vſusfructus.d.l.cùm oportet.§.ſinautem. nec tam puto patris

esse meram liberalitatem fructuum quos nō percepit ex re filij quàm humanitatem quandam,quæ facit vt fructus quoque iure aduentitio censeantur.adeò plus operatur pedetētim facta perceptio filij patiente patre quàm repentina erogatio.l.4. ff.de manumiss.argumēto alluuionis.§.præterea.de rer.diuis. hoc vix scio animaduersum vel ab illis, qui oculati supra bubulcum illum Iouis Argum creduntur.& cùm iure dominij noua lex aduentitia filio permittat,fructus consequenter eidē facilè largitur ex patris voto.si modo,vt dixi,non collecti. iā sint in patris horreo,sed legendi filio permittantur. l. de fructibus.ff.de donati.inter vir.

25 Experiamur vtrum emancipatus conferat aduentitia filio suo parentis communis,propriè enim non habet vllum peculium .l.fi.C.de inofficios.testa.sed magis est vt veritate inspecta in hoc quoque disquiramus vnde hauserit quæ possidet, à patre ne,an aliunde.l. vt liberis.C.de Coll.& an castrensia vel quasi,fuerint necne.l.cùm oportet.§.cùm autem.de bonis quę liber.quocirca nonnulli existimant emancipatum non conferre aduentitia.quia si esset in patris potestate iure Iustiniani ea patri non acquireret.hæc ratio vetus est , atque iuri nouo consuta proficit in.l.si fratres.§.2.ff.pro socio,vbi coita fuit societas cuiusuis posteræ acquisitionis,& ita stipendia militiæ cæteraque salaria communicantur ex vi pactionis,licet filius emācipatus fratri eadem conferre non cogatur.quia in potestate existens patri non acquireret.igitur quæ patri non acquiruntur, cuiusmodi sunt hodiè aduentitia, Collationi nō subiiciuntur. & sic ratio legis antiquæ porrigetur ad nouam.l.non est nouū. ff.de legib.quia lex noua comparat.aduentitia castrēsibus minimè conferendis.Quod si quis dicat.d.l.fi.C.de Collat. referri ad d.l. cùm oportet.vbi definitur duntaxat de filiis in potestate:addatque correctoriæ legis potentiam omni conatu coërcendam,non me terrebit:quia videam in.d.§.cùm autem. de emancipatis eleganter disceptari:&valde iniquum esse,vt si extraneus eximium prædium emancipato donauerit,id fratribus contribuatur nihil simile in medium allaturis,& cum.d.l. fi. aduentitia exæquet castrensibus:denique cùm prohibens suū

conferre prohibeat exemplo emancipatum, qui nec iniuriam facere nec pati debet.l.vt liberis.C.eod.vbi æqua lance vtrinque perpenditur Collatio iuxta Pythagoræ præceptum stateram transgredi vetantis.Preterea magnum detrimentum pateretur emancipatus alia interpretatione arg.l. in lege. ff.de contrah. empt.cùm nihil fere non habeat aduentitium, saltem partum laboribus aut prospera fortuna.§.igitur.per quas person. nob. acq.

26 Idem vtique recipi in filiofam.nõ ambigo.d.l. cùm oportet.nempè cùm tolerante patre lucrum facit sibi filius, potius quidem quàm seruus domino conniuente in suam arcam referẽs.l.4.ff.de manumissionib. quo Vlpiani testimonio mirificè recreor:modò filius aduẽtitium ex re patris lucellum secernere sibi consueuerit,& suo nomine.l.idemque.§. si mandauero. ff.mandat.adeò pollet patris assidua patientia,sed perquam rara: nam emancipatus sibi lares habet,sibi negotiatur, & acquirit,industriæ fortunæque ope paupertatem fugiens.at filius in potestate raro seorsum à patre manet,vt secerni possit quid sibi fortunæ diligentiæue beneficio pepererit.Quòd si etiamnũ durum videatur vsumfructum aduentitiorum ad suum filium pertinentium patri acquiri,& ita per patrem emancipato filio communicari simul cum illis rebus, quas filius patri gnauiter quæsierit domi residens, & paternos penates colens. Consideremus inter fratres non omnia acerbè accipienda tanquam inter personas infensas,quinimò mutuam offensionem metuentes,repetito consimili viri &vxoris exemplo: hæc enim quiduis marito acquirit.l.quintus.ff.de donati.inter vir.non tamẽ si maritus mediocriter toleret.l.ex annuo.ff.eod. obumbrat enim patientiam amore non reprobo,sed frenum potius quàm calcar habere digno.l.si id quod.§.si quas.ff.de donat.inter vir. maximè circa fructus aliquo medio perceptos,vt paulo ãte diximus per.l.de fructibus. ff.eod. Hæc omittamus, ea quæ per mediam personam capiuntur alio iure quàm directo censeri.l. scimus.§.repletionem.C.de inoffic.test.deinde societas fraternitati inest.l.verum.pro soci.ff. vbi quoque docemur socium socio non prorsus adstringi stricta ratione iuris.est verò cum e-

mancipato indulgentiùs agendum,qui à patre nõ ita fouetur, alitúrue vt domesticus.

27 Præterquam quod emancipationi hoc tacitè accedit, vt filius dimidiam partem vsusfructus postea acquisitorum bonorum,si castrensia non fuerint,patri pendere teneatur. d. l. cùm oportet.§.cùm autem.C.de bonis quæ liber.nec est quare tali filio inuideatur,ne beneficium emãcipationis in odium retorqueatur:& cùm plus prematur,exactè rem totam perpendentibus,quam is qui manet in potestate delicati⁹, & segnius quæstui inuigilans sub alis paternis,ita vt dimidia vsusfructus rerum emancipati filij longè superet totum alterius filij vsumfructum,si quicquid frequentius euenit contemplemur iuxta vulgare legis præscriptum:cùm emancipatus plura aduentitia vulgò possideat,quia plura acquirere possit: maximè illa quæ ipse à matre vel ab aliis relinquuntur sub conditione si emancipetur.l.si quis.§.legis.C.de inoffic.test.

28 Sed videtur etiam antiqua Diocletiani lege vetitum fuisse aduentitiorum Collationem sicut castrensium in.l.filiæ licet.C.de Collati.vbi dos profectitia confertur, & peculium quod neque castrense neque relictum docetur. namque relictũ referre necesse est ad testamentum extranei: quippè cùm relictum singulare ex patris Codicillis non impediat Collationẽ eius qui velit succedere.l.à patre.C. eod.ex testamento autem patris non habuit locum vllius peculij Collatio.l.1. eod. Sed certe dico in.d.l.filiæ.tractari de singulari relicto peculij, non autem tractari de Collatione sed de diuisione iuxta.l. certum. famil.Hercisc.C.ergo innuit. lex peculium profectitium relictum non communicari fratribus cum quibus ab intestato succedit peculiatus filius:nempe dummodo illo contentus fuerit l.filiam cum.de Collati. vbi filia quæ vult patri succedere ab intestato,fratribus confert dotem vltra relictum in Codicillis quia & hoc ipsum conferet. quod si illi relictum non fuerit à patre,velit nolit, cogetur participes fratres facere iudicio familiæ Herciscundæ.l.pe.C.famil.Hercisc.quoniam non adeò hæret peculiũ filio administratori,quin patris re vera maneat, nisi separetur pietate singulari cum bona patris fisco addicun-

tur ex debito.l.3.§.sed vtrum.in fi.ff.de minorib.& de his nonnulla iam scripsi superiùs.

29 Septimum igitur postremumque Collationis tempus iam contemplemur, circa quod Iustinianus illi harmoniæ, cui studuisse ipsum prædixeram, summam manum imposuit instar Terpandri illius musici non paruam gloriam sibi Lesbiísque suis nacti, quòd lyræ septimam chordam addidisset. sancitum namque fuit ab illo Cęsare non minus ex testamento quàm ab intestato conferendum fore auth.ex testamento.C. de Collat. cùm antea nefas videretur vocatum ex paterno iudicio subiici Collationi: cùm iure extranei saltem non conferentis videretur succedere.sed quia æquo æquius iuuenitur.l.si seruus communis.§.quòd vero.ff.de furt.cōsentaneum magis æquitati visum est ex testamento quoque conferri, propterea quod obliuio testantes potest obrepere in media ægritudine, vel etiā facto quandoque testamento à bene valente: cùm hoc nisi morte confirmari nequeat.& mortis futuræ cogitatio acerba tūc maximè fit, quando viuere dulcius est.l.8.§.at cùm. C.qui testam. facer.poss.§.illud de triēt.& semiss.col.3. vt rectè dixerit Themistius apud Stobæum, metum mortis antiquissimum esse: aut potius omnes alios metus propter hunc ipsum timeri. etiam si prodeat fortis Æschylus ὦ θάνατε, inquit, μόνος εἶ τῶν ἀνηκέστων κακῶν ἰατρός, idest, ô mors, tu sola malis incurabilibus mederis.sed illa magnifica faciliùs iactantur quàm persuadentur. ideóque succurit lex antiqua testantibus, qui impunè in facto proprio errant, nempè terrore vel obliuione valde perculsi. l. si res oblig.ff.de legat.1.alibi talis error inexcusabilis habetur. l.3.ff.de iuris & fact.ignor.

30 Planè vel testamentum scriptum vel nuncupatiuū, de quo in.§.fi.de testam.sufficiebat ad impediendam olim Collationē & quodcunque iudicium habēs inuisam Codicillis institutionem.l.si emancipati.C.de Collation.fortè etiam ex testamento parum solemni vim institutionis vsurpante antiquitus.l. fi. C.famil.Hercisc.nam eadem ratio liberorum ex sententia patris vocatorum pugnabat aduersus Collationem.l.hac consultiss.§.ex imperfecto.C.de testam.

Ergo

31 Ergo vt in reliquis iuris ciuilis partibus dominatur volũtas testantis circa Collationem iure quoque antiquo, ita vt posset iniungi ex testamento Collatio.l.7.C.de Collation. nõ aliter.ideóque Accursius in.l.2.de Collat.dot.ff.arbitratur filiam institutam conferre filio emancipato:quia fingit ibi hũc præteritum,& ex huius persona filiam ex modico institutam petiisse bonorum possess. contra tabulas & rupisse testamentum,ac plus consecutam fratris beneficio,vt in.l.3.ff. eod. de qua re non solertiùs disquiro,postquam Iustiniano visum est vno ictu instar nodi Gordij,secare omnes tales controuersias: & tam ex testamento quàm ab intestato conferri iubere. Sed adest Vlpianus præsenti animo hoc laudis sibi vendicans in.l. si non mortis.ff.de inoffic.test.vbi si donatum esset à patre filio hac lege,vt donatio simplex in quartam imputaretur,cessabat querela inofficiosi si quartam æquaret donatio:aut si quid deest boni viri arbitratu repletur,inquit,aut certè conferri oportet id quod donatum est.ex his apparet extorqueri etiam Iustiniano supplementum legitimæ mutilæ,quod sibi ascribit in.l.omnimodo.C.eod.& posse excusari maleficos scriptores aliquos,quibus nihil tam placet quàm quod ab aliis autoribus cœlesti munere inuenire concessum fuit.Quocirca à tam nefario ausu Iustinianum Accursius eximens,mauult vice versa cõpositores Pandectarum ex Codice Cæsareo transtulisse, & id supplementum addidisse Vlpiani responso,quod Bartolus inficiatur asserens illis incognitum fuisse ius pandectarum: atq; ita in nouum errorem labitur.

32 Quid enim fuit notius iisdem viris quàm quædam selectæ constitutiones in Codicem Cæsareum redigẽdæ quas interim delibare possent digestorum libris:sed cùm hæc res facti sit nõ iuris,nihil statuo interim:ostendo tamen boni viri arbitratu faciundam Collationem Iurisconsultis alibi præuisam, ne quis Vlpiano inuideat.l.2.§.de illis.ff.de Collat.id mox æmulatus est imperator in.l.scimus. de inoffic.test.sicut & alia ex antiquioribus Augustis.l.si maritus. C.de inoffic.test. vbi hoc Accursius bis notat.minusque sequor alios Doctores,qui aiũt in.d.l.si non mortis.tractari de donatione inter viuos, & de

G

portione legitima ex duorum consensu data non de vnius testatoris voluntate. quòd licet verum sit, tamen non eximit Iustinianum arrogantiæ ob alienum inuentum sibi audacter ascriptum. maximè cùm nihil intersit, an testamēto detur an inter viuos. l. Papinianus. §. si quis mortis. ff. eod. mentione facta legitimæ portionis scilicet, vt ibi & in. l. etiam. §. pe. de bonis libert. imò laudabilior esset inuētio vetus supplendi id quod consensu duorum taxatum fuerat super debito naturali legitimè, quàm quod à solo testatore: illic enim filio consentienti imputari magis debuit quàm eidem legatario. l. 1. §. si parens. ff. si à parent. quis fuerit manu. firmius enim est duorum vinculum in conuentione, & consentienti lentiùs iura opitulantur. l. quæritur. §. si venditor. ff. de ædil. edict. proinde nihil aliud excogitauit Iustinianus quod pertineret ad supplendam legitimam quàm firmitatem aliquam repletionis: quippè cùm lex vetus disiunctiuè electionem proponeret filio, vt aut suppleri peteret id quod quartę deesset boni viri arbitratu, aut conferret accepta. d. l. si non mortis atque ita fluctuabamur in dubio. expectantes vtrum filius pro certo optaret. verùm præcise coëgit Cæsar petere suppleri in. l. scimus. C. de inofficios. &. d. l. omnimodo. vbi ipso iure fit repletio, & sic necessario ac rigidè, non vago arbitrio iudicis post inuentum inflexibile Iustiniani vt in. §. 1. de bonor. possessio. dixi suę inuentionis esse exemplarem substitutionem furioso factam. §. qua ratione. de pupillar. subst. sed quam Iurisconsultus præsenserat. l. ex facto ff. de vulgar. subst. expoliuit eam vtique & amplificauit. atque ita Collationis molestiam vtrinque onerosam reiecit. non enim dubium est antea eligi solitam suppletionem vel Collationem, vt Vlpianus illic declarat: aut certè, inquit, conferri. cùm sit vulgatum particulam certè, pro saltem capi. l. cúmque ff. de pericul. rei vendi. l. lex Iulia. §. fi. ff. ad legem Iul repet. Ergo restat Iustinianum non præsensisse alterum quod sibi assumit punctum introductæ ex testamento Collationis. quale intercessit in. d. l. si non mortis. vbi de testamento inofficioso suspecto disceptatur. sed asseretur Iustinianus dupliciter: priore modo, vt laudetur Collatione admissa recenter, tametsi to-

ta institutio testamentaria maneat. quondam autem non aliter conferebatur quàm si pro parte solummodo infringeretur, vt patefactum est ex. l. si filius. ff. de Collati. l. circa. ff. de inofficios. testam. Insuper magis puto in. d. l. si non mortis. non agi de Collatione faciunda per filium donatarium, qui ad hæreditatis partem ampliorē admitti cuperet æqualiter cum fratribus, sed tantùm legitimam portionem repleri: & sic non æqualem partem ab intestato successionis sed quartam ipsius. d. l. Papinianus. §. si quis mortis. alioquin ieiunè & impariter Vlpianus proposuisset suppleri quartam vel conferri: nam nemo Collationē dulcissimam nō potius amplecteretur, si per eam triplo plus consequuturus prævideretur. Sed iam talis Collatio explosa est, & supplementi ratio tantùm iniri debet.

33 Nec est quod desideremus titulum nobiliorem donatione inter viuos legitimæ filiorum applicandum, vt vulgus existimat, cui ego extorsi errorem in Dialogis cap. 35. & opinio mea robur accipit ex. §. aliud quoque in auth. vt cùm de appel. cognosc. col. 8. vbi vno duntaxat casu titulus donationis vel legati non sufficit ad arcendum filium à querela vel à simili impugnatione testamenti paterni, cùm est exhęredatus adiecta causa ingratitudinis. nimirum quia nota ei inuritur impietatis, quæ aboleri nequit nisi sequente institutione exhæredationi hostiliter inimica. igitur quando filius non dicitur exhæres, sufficiet quilibet titulus relicti ad filij legitimam, si modo expresè pater det filio pro legitima. d. l. si non mortis. & l. si quando. §. & generaliter. C. eod. alioquin censeretur, præteritus, quamuis relictum singulare acciperet aut aliud genus liberalitatis. quia non esset institutus vel exhæredatus, sic ipso iure testamentum corrueret. l. inter. ff. de liber. & posth. idque iure veteri etiam, ne nouum tantopere posthac allegetur.

34 Nondum est perducta ad vmbilicum. d. auth. ex testamento. cùm disquirendum etiamnum sit, an donatio simplex conferatur. vbi Accursius ait Ioannem & Placentinum admisse Collationem propter generalia verba Iustiniani aut Irnerij ibidem. & magis est vt hi verum scopum tetigerint. quàuis contrariæ sententiæ defensores expendant dictionem aliorū da-

torũ, & repeti similes erogationes doti, id est, ob causam sentiant, non autem simplices: nec vident dictionem, alius, sæpè pro diuerso sumi tam affirmatiuè. l. 1. ff. quod fals. tutor. quàm negatiue. l. tale. §. fi. ff. de pact. vbi non habet alios filios, qui nullos habuit, quibus assimilari liceret masculis. præterea nõ de donatis rebus sed de datis, loquitur Irnerius ibi: & nemo nescit datum dici quidlibet siue relictum siue aliter aptum transferendo dominio. vnde datum donatione dicit Cæsar in d. l. illud. §. fi. de Collat. & datum dote vel donatione ante nuptias. l. vt liberis. eod. recurramus ergo seduli ad fontem. §. illud de triente & semiss. col. 3. & limpidam veritatis aquam hauriemus, ac pellucidè videbimus donationem simplicem omnino conferendam. vtpotè cùm obliuionis ratio in ea militet: quæ perfecit vt ex testamento pariter atque ab intestato conferatur hodiè. quia, inquit, testator potuit esse oblitus datorum antea præ mortis tumultu. vt non inuenustè poëtæ finxerint, mortuos gustantes fluuium Lethæum præteritorum immemores fieri. quæ ratio in donatione simplici magis quã in dote vrget. difficiliùs enim pater collocatam nuptui filiam cum dote obliuiscetur quàm munificentię suæ largitionem sine vlla necessitatis ratione. Præterea Iustinianus mentionem facit dotis & rerum alio modo datarum: vbi dictio, alio modo necessariò diuersum significat rubr. C. si per vim vel alio modo. §. alio. quib. mod. test. infirm. ne posthac aliquis obstrepat ex verbo, alius. vt nõ abs re doctores putent donationem simplicem factam filio in potestate imputari in legitimam: at factã emancipato non aliter, nisi ea lege donatum sit aliquid, vt imputetur. l. si quando. §. fi. C. de inofficios. test. quia pater, vt reor, facilius donauit suo filio, cùm donatum post liberè reuocare possit, quàm emancipato.

35 Sed fingamus id quod omnino non est, in. d. auth. nihil tãgi donationis inter viuos: & accusemus, si diis placet, Iustinianum desidię: an non iure antiquo donatum à patre filio in potestate conferebatur summa ratione, uel in diuisionem veniebat tanquam retro in bonis patris inuentum tempore mortis, sicut omnia eiusmodi quæ ante mortem communis parentis

fuiſſe creduntur, vel in bonis ipſius filij collaturi fratribus, licet educta à caſtrenſi peculio.l.1.§.ſi is qui.ff.de Collati. vtrobicunque igitur vertatur donatio ſimplex, vtique conferetur. ſi quidem filius donatarius velit cum aliis ſuccedere ab inteſtato priſco ritu, ſed nouo etiam, ſi teſtatus pater obierit. ſed profecto penitus intuenti apparebit in patris fuiſſe bonis donatum filiofamil. in poteſtate manenti adeò vt non vſucapere pro donato poſſit ex ea donatione quæ nulla eſt, inquit Paulus.l.1.§.1.ff.pro donat.vbi Accurſius aſſerit ſaltem incipere vſucapionem à morte patris, quaſi tunc cõfirmetur donatio. Sed non puto hoc dici poſſe, ſi pater nõ alienam rem ſed ſuam donauerit. quia cùm filius morte patris fiat dominus rei à patre donatæ, non eget vſucapione ad inchoandum nouum dominium.l.3.ff.eod.l.in bello §.ſi quis ſeruũ.de captiuis & poſtlimin. nec noſtrum nũc eſt inquirere de re aliena donata à patre, ſed de propria, quam pater donat vna manu, & confeſtim altera recuperat vt cui à filio quiduis acquiritur.l.placet.ff. de acq.hæredi.&.l.ſi quis pro eo.§.1.ff.de fideiuſſorib. Sed in eandem ſententiam nobiſcum vrgentiùs tendit Imperator in.l.2. C.de inoffic.donat. non enim dicit conferri donationem ſimplicem factam filio in poteſtate quin potius diuidi iudicio familiæ herciſcundæ cum reliquis fratribus, tanquam in patris bonis ſemper manſiſſet. Atqui in alio.d.l.2.nobis refragatur, quia ſtatuit donationem talem ſi immenſa ſit, non reſcindi niſi quoad legitimam portionem cohæredis fratris. quod ſi nullius eſſet momenti donatio, æqualiter cum fratre diuideretur perinde ac ſi in bonis patris perſtitiſſet, vt videbimus poſtmodum per.l.ſi donatione.C.de Collation.

36 Quid ergo dicendum de.d.l.2.quæ adeò nutat in vtramlibet ſententiam? Certè ibidem probatur donationem ſimplicem factam filio ſuo aliquod habere adminiculum, quo adiuuetur nempè mortem patris, cùm facta emancipato, qui patri nihil acquirit, illico valeat. nec cõminiſci poſſumus aliud adminiculum quam mortem patris: ſi enim donatio facta ſuo accipit vires à ſecuta emancipatione.l.donationes.§.pater.ff. de donationib. quare non accipiet à morte, per quam pro certò

eximitur à ſacris paternis filius irreuocabiliter. nec quiſquam adoptionem futuram apud tribunal Minois vel Æaci ſperat, poſt emancipationem ſperare poteſt. Ergo dicendum eſt, ibi filium in poteſtate non conferre donationem: quia cùm vberrima eſſet, & expoſita querelę ſicut illic habetur, propter immẽſitatem filius reſpuebat patris ab inteſtato ſucceſſionem, & ſe abundè rebus donatis cōtentum dicebat: ideò nō ſubiici Collationi ſicut, nec legatum aut fideicommiſſum ſingulare confert, ſi nolit ſuccedere. l. pe. C. famil. Herciſc. & abundè lucratur filius, quòd ſibi ſi velit, donata poteſt ſeruare repudiata ſucceſſione. l. ſi filia. ff. de Coll. dot. proinde donatio immenſa vſque ad legitimam alterius filij portionem tantùm reſcinditur & hoc ipſum declaratur per arbitrum familiæ herciſcũdæ præſtitutum, tametſi nolit ſuccedere is qui poteſt. l. filiam. 2. C. de Collationib.

37 Nec video, niſi lippo ſim iudicio breuitatis amore aliud dici in. d. l. ſi donatione. eod. nam & donationem morte patris quæſitam ibi traditur, ergo confirmatam: ſubiungitur etiam conferri ab ea filiafa. quæ cum ſorore patri auebat ſuccedere. quoniam talis donatio non poſt mortem patris acquiritur vt non conferatur, ſicut in. l. nec emancipati. eod. ſed eo momento, quo exhalat pater animam, vim capit. & multùm intereſt inter tempus mortis, & tempus poſt mortem. l. ſi quis. C. de inſtitut. ideò mortem vulgo horrendam nihil ad nos pertinere. veriſimilius eſt, quæ cùm adeſt, nos iam nō ſumus. & huic ſuccurrit, quod Plato interſtitium mortis & vitę vocauit, τὴν ἐξαίφνης φύσιν ideſt, repentinam naturam. velut in confinio contrariorum, & tertium quiddam.

38 Accedit donationi, ne à fato patris acquiſita cenſeatur, quod ex conſtitutione Iuſtiniani retroagitur ad tempus liberalitatis ante mortem, ſi non excedat quantitatem quingentorum aureorum. & ideò inſinuatione non egeat hodierno iure: quinimo valida naſcatur. l. donationes. 1. C. de donati. inter vir. §. aliæ. de donati. inſt. nec diſtingo vtrum tradita res donata fuerit, an non: ſicuti inter coniuges audio diſtingui in. l. Papinianus. ff. de donati. inter vir. quia cùm filius quodammodo

ſit dominus rerum patris eo viuo.l.in ſuis.ff.de liber.& poſth. dici non poteſt quàm facile penetret vis traditionis in eum ſine nouo facto.iam enim tenet res paternas non ſine voto patris.l.nihil de bonis liber.quod abeſt à coniugio.l.2.C.de acq. poſſ.vbi euidenter prodeſt in poſſeſſione aliqua rei transferẽdę prehendi.tantùm obeſt filio,quia mox Euripi inſtar refluit ad patrem id quod filius ab eo lucrifacit.l. ſi de eo.ff.eod.l. ſi quis pro.§.1.de fideiuſſorib.pudet referre quę fabulantur Doctores circa.d. l. ſi donatione, de conceſſione in peculium ibi facta,aut ficta potius.nam iacto fundamento donationis minimè conferendæ,neceſſe fuit cogi illos in eas anguſtias. ſcimus nos quidem verbum donationis adulterari pro ſubiecto tractatu.l.ſi vno.ff.locat.ſed cùm nihil ſit frequentius donatione patris in filios,quis, quæſo,donandi verbum ad peculij conceſſionem poterit traducere potius in.d.l.ſi donatione quã alibi?nec eſt quod nitãtur de l.quod fructuarius.ff.de acq.rer. domin.quia ibi donabat ſeruo dominus, vel potius pene dominus fructuarius,ea mente ne proprietario quęreretur donatũ.ideò manebat in peculio ſerui multũ à filiofam. diſtantis, qui poteſt ſibi habere aduentitium operis ſuis & induſtria, ſeruus autem non ita.§.1.&.2.per quas perſon.nobis acq. Cæterum ſit,vt volunt,donationem filiæ, de qua nominatim tractatur in.d.l.ſi donatione.ſapere naturam peculij quandiu pater viuit:ſic profecto in quauis donatione fateãtur neceſſe eſt, & tamen cõfirmari ſimul atque filia exibit patris poteſtatem, quemadmodum perſpicuè liquet ex. d. l.donationes.§.pater. ff.de donati.pater,inquit,filiæ quam habebat in poteſtate mãcipia donauit,& emancipatæ peculium non ademit,ex poſtfacto donationem videtur perfeciſſe.ecce quomodo mancipia donata filię peculium eiuſdem appellauit:nec enim licet diuinare in filia aliud genus peculij.nec inuideamus peculij nomẽ tali donationi,per quam pater vt peculium ſeparat donatum à ſuo patrimonio,quoad reuocet.tamen quia donationis verbo nobilitatum eſt,filiæ præcipuum manet, ſi modo contenta eo fuerit,nec velit cum fratribus ſuccedere:alioquin peculij meram naturam redolet,ideſt,æqualiter diuiditur,cùm & puellæ

quadret peculij administratio.l.si filiafamil.ff.de iure dot.iuxta.d.l.certum.famil. Hercisc. C. sunt hæc quæ dico abdita in recessu iuris Ciuilis,sicut illud è diuerso, quod peculium imbuitur donationis potestate,idcircò addictis fisco bonis patris ob æs alienum,incolume seruatur filio suum peculium. l.3.§. sed vtrum.ff.de minorib.& exhæredato quoque filio seruabitur,si exterus sit hæres institutus.l. frater.§.pe. de condict. indeb.quid multa?in tantum est peculij significatio flexibilis, vt filia id habere dicatur in rebus à matre donatis,sine dubio valente donatione protinus.quid rides ô Lector, Papinianus te id docet in.d.l.donationes.§.species.de donati.

59 Verùm apertè impugnamur non tumultuaria prædonum manu,sed à duobus Impp.Diocletiano & Maximiano in.l. filiæ.C.famil.Hercisc.filiæ cuius nomine, inquiunt ipsi, pater res comparauit, si non postea contrarium eius iudicium probetur,per arbitrum diuidendæ hæreditatis præcipuas adiudicari sæpe rescriptum est. si ergo præcipuæ sunt res emptæ filiæ nomine,iam non conferuntur ab intestato, sicut nec olim ex testamento res doti filiæ dedicatas lex conferri permisit, sed præcipuas ei deuouet. l. Pomponius.1.ff.eod.ergo quod præcipuum est,non communicatur.l.cùm pater.§.pater pluribus. ff.de legat.2.Sed ego vereor ne parum rectè Doctores præcipuas res earúmque significationem acceperint.non enim Augusti senserunt filiæ eas deberi vltra æqualem partem hæreditatis,sed magis ita, vt fratres tantumdem pecuniæ numeratæ acciperent, vt expressè præcipui nomen explicat Iustinianus in.l.fi.C.cōmu.vtriusque indic.præcipuum itaque pro eximio capitur,non pro assignato singulariter.præ cæteris.l. scire. ff. ad municipal.opitulatur valdè.l.ex facto.2. vers. ita igitur de hæredib.instit.ff.& ibi Vlpianus pari diuisionis æquitate nititur. & satis alioquin indicat.d.l.filiæ.in eodem iudicio familiæ herciscundæ adiudicationem memorans faciundam,videlicet rei alicuius vni hæredum addictæ, cùm alteri par quantitas rependatur.§.si familiæ.de offic.iudic.Et quo ampliùs elucescat rei æquitas,dicitur in.d.l.filiæ. fundum fuisse nomine filiæ comparatum,vnde vim in eo faciunt aliqui, quod etiam

traditus

traditus donationem perfecerit non concessionem peculij.sed hanc vim ipse malo vocare violentiam: emptio namque talis non infert donationem, vt apertè docemur, nisi apta castrensi fortunæ, quæ emuntur nomine filij positi in patris potestate, fuerint.l.1.de castrens.pecul.l.fi.ff.de pecul. legat. quia nouit lex patrem vel maritum sæpè filij vel vxoris nomen interponere, sed re vera sibi ipsis emere, alienæ personæ perituræ subiecto nomine.l.si filij. C.de donation.inter vir.igitur empta filij peculio ascribuntur maximè prædia & res aliæ immobiles.vnde cum iidem duo Augusti statuissent peculium vnius filii diuidendum inter.fratres æqualiter.d.l.certum. C. famil. Hercisc. paulopòst modum cōsiderarunt mitigandi acerbitatem & iniuriam, quæ quodammodo fit filio tractanti peculiū: si ex laboris assidui molestia nihil colligit fruct⁹ præcipui. cū verisimilitor res à se diu excultas diligat, & diuidi inter fratres doleat. præsertim cùm nec lex antiqua peculij gubernatorem filium absque præmio reliquerit, vt ostendimus ex.l. frater.§.pe.de cōdict. indeb. quamobrem sanxerunt Imperatores ab arbitro familiæ sic diuisionem fieri decere, vt filius filiaúe peculium habens res in eo antea constitutas ita retinere præcipuas valeat, vt pecuniæ vel aliarum rerum parem quantitatem aut æstimationem aliis fratribus ascribat, & per omnia sequatur patris voluntatem, qui filio filiæue peculiaris rei administrationem delegarat.l.si cogitatione.C.famil. hercisc.quæ lex eorumdem Cæsarum est.euidentiùs hoc patet in.l.filium quē. eod.tit.vbi laborant omnes interpretes attoniti, cùm videant filium habentem fundum rogatum de parte sua hæreditaria restituēda fratribus & exteris, in eo fundo trebellianicæ quartæ ius totum percipere.non certè alia ratione quàm vt, repulsa iniuria, filij peculiati studiosius prædia colāt, quæ saltem præcipua fore sibi præsentiant, modò æquabilis æstimatio cohæredibus assignetur. Et illius l.filium.meminisse non piget interim donec otium sit copiosiùs explicandi: ne aliqui ex nostris flosculis mel fingant, & sibi vendicent.

40 Iam, opinor, nemini dubium erit, quin donatio inter viuos conferatur iure quoque antiquo repetito. addunt aliqui

tempore,quo penatibus paternis dimittebãtur,& colore quodam subsidij naturalis facultates aliquas accipiebant, quibus se fouerent,& negotiationem auspicarentur,vt suo loco diximus,instar donationis causam comitem habentis, naturæ instinctu & more approbatæ.

42 Sanè si liberet os sublinere credulis lectoribus circa. d.l. illud.in fi.possem comminisci,quæri ibidem de donatione inter viuos à patre facta ob merita filij:quia meminit expressim filij,qui donationem meruit.sed nolo imponere: cũ Iustinianus pauloante locutus esset de eo qui militiam meruit, idest, accepit à patre sine prætextu meritorum vt in.l.amicissimos. ff.de excus.tut.Insuper ego ægrè sequor Accursium,qui in.l si donatione.eximit filium à Collatione donatorum ob bene merita:quia fortè patrem ab hostibus eripuit,vt Æneas pius ideò habitus,vel à latrunculis.quòd genus donati ob causam in mercedem eximij laboris ascripsit Paul' in.l.si pater.§.fi.de donati.& irreuocabile dicit:nec si ingrat' donatarius extiterit postea ei extorquebitur ex.l.fi.C.de reuoc.donati:quia antè is qui accepit pensauit talem donationem obiens periculum pro donante.quodvix admittam in filio,etiam si prodeat Simonis Attici ducis filia, quæ patrẽ carcere inclusum lacte suo furtim aluit vberibus eum admouẽs instar infantis. nemo enim pro merito parentibus,à quibus nullo antea obsequio prouocatis velut per manus vitam accepit,vices potest rependere,tantùm abest vt miro nouóque ipsos officio prouocare queat. nec est affectus vllus,qui paternum æquare possit,cùm plus se ipso diligat filium.l.isti.§.fi.ff.de eo quod met. caus. l. fi. C.de curat. furios.quamobrem si filius de patre admodum bene mereatur existimet se paria vtcunque cum illo facere, nõ remuneratione dignum esse,cùm pietatem parenti debuerit.l. pe.ff. de obsequi.à liber.quinetiã si pater testetur se donare filio propter bene merita,non faciet id quod donat aduentitium : cum suis beneficiis antea æquauerit filij insignem quamlibet pietatem: vnde vox patris nihil immutabit.l.si fortè. ff.de castrens. pecul.sic cùm præceptori discipulus gratitudinem exercet,tantũ respondet beneficio doctrinæ.at multomagis patri à quo præ-

ceptores impendio sumit: vtrunque probatur in.l.Attilius. ff. de donati.accedit illud Thaletis apud Laërtium: quæcunque, inquit, stipendia parentibus intuleris eadem ipse à liberis expecta, idcircò liberalis & officios⁹ erga parẽtes spe bona fouetur, & mercedis expers nequaquam manet: an non impius ilico deprehenderetur filius, si diceret se tanquam erga extraneũ in patrem affectum fuisse? quod non præsumitur, nec vice versa.l.tutor petitus.§.1. de excus.tutor.certè velut patri bene & piè consuluit, laudem relaturus pro præmio officij sui non quæstum.l.diuus.2.ff.de custod. reor.

43 Sed iam nimium immoror circa.d.l.illud. cuique perspicuam, & nihil non conferri iubentem quod in legitimam imputetur: cùm è diuerso pleraque conferantur, quæ in legitimã non cedãt. qualem donationem filio suo factam depinximus, de qua non expressè actum fuit vt pro legitima caperetur. d.l. si quando.§.fi.C.de inofficios. test.l.si non mortis.ff.eod. aliâs enim legitimæ accepto non ferebatur, licet emancipato facta, ratione tradita in.l.si verò.§.pe.de bonis libert. sed illa adiectio pro legitima sapiebat causam mortis.l.etiam.§.pe.ff. eod. Item olim dos aduentitia filiæ Collationi exposita non hodiè l.fi.C.de Collati.Adiiciunt alij vulgò donationem factam emancipato, dum exit patris potestatem.l.vt liberis. C. eod. Idem dici potest, vt reor, de actione furti quam habet contra alium, & eandem confert.l.2.§.emancipatus.ff.eod.At in portionem legitimam numerari tale ius non paterer. nec aliud prorsus statuerem in peculio castrensi filij sui: proprium namque securum est & Collationis expers.l.1.§.si is qui.ff.eod.

44 Quisque verò cogi ad Collationem poterit officio iudiciis.l.si soror.C.de Collat.Vel denegatis actionibus hæreditariis.l.posthumo.cum.l. seq.eod. nisi quis dicat in hoc versari officium iudicis, vt nolenti conferre deneget actiones apertè indignas.l.2.in fi.C.vt nemo priuat.titul.& hæc est pœna proteruitatis, & hominis nolentis licita admittere.l.si debitor. de soluti.ff.quia dolo petat à fratre partem hæreditatis paternæ, qui ipse præstare recuset id quod in eam partem imputandum veniat, vel deducere.quasi partim petat id quod iam possidet

non inquietatus.l.1. C.de re iudic. maximè cùm nonnunquã plus cõferre debeat quàm sit accepturus ex successione.l.2.§.si tres.ff. de Collati.Quid si addamus iudicium familiæ herciscundæ,in quo vterque agit & defendit inuicem,non abhorrere à Collatione.l.1.de Collat.dot. quia tametsi conferre propriè dicantur sua bona liberi, & paterna diuidere l.xij. C.de Collation. tamen vt diuisio æqualiter contingat inter fratres, is qui alteri facturus videretur iniuriam,si quod tenet sibi haberet præcipuum,ab arbitro familiæ herciscũdæ ad Collationem adigitur.l.filiam.2.C.eod.aut eximitur si rei natura exigat.his affatim expleuimus animum superiùs in impẽdiis studiorum ac similibus.l.quæ pater.2.ff.famil. hercisc.l. si vni.§. Neratius.eod.imò de illis nimia scripsimus, postquam multi iudices nullis fraudes capitales necti libentiùs patiuntur,quã iis qui legitimis studiis propagandis operam omnem innoxiã collocarunt.& ille scit,qui hæc scripsit.

FINIS.

INDEX LEGVM, QVÆ IN VTRAque tractatus Collationum parte, nouo intellectu donantur.

Ex digesto veteri.